3

Collegij Ethici

SYNOPSIS PRIMA,

Exhibens

NUDA ETHICES PRÆCEPTA, ANNEXIS, AD SINGULA FERE PRÆCEPTA, Quæſtionibus utiliſſimis & jucundiſſimis digito quaſi monſtratis:

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtpha.
S. S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipiet

JOHANNES BERNER Oſnaburgenſis Weſtphalus.

ad diem 11. Aprilis, horis & loco ſolitis.

Cicero 2. de Finib.

Quærendi defatigatio turpis eſt: cum id quod quæritur ſit pulcherrimum.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M.DC.XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I.

Quoniam hactenus laus Deo duodecim Diſputationibus partim publicis, partim privatis ipſa Ethicæ præcepta, qua potuit fieri dexteritate & perſpicuitate, propoſuimus, explicuimus, quæſtionibus quamplurimis non injucundis illuſtravimus, illa in faſciculum quaſi recolligere, & placido examini duabus Diſputationibus ſynopticis ſubjicere libuit. Compendium hoc ne ſit diſpendium fac mi Deus.

II. Ethica conſideratur dupliciter: 1. Abſolutè, ut eſt ſpecies habitus intellectualis. 2. Relatè, ut eſt pars Philoſophiæ practicæ. Inde duplex Ethicam definiendi modus.

III 1. Ethica eſt prudentia liberas hominis actiones in genere dirigens, & animum per virtutes informans, ut homo in hac civili vita benè beateq; agat.

IV. 2. Ethica eſt practicæ Philoſophiæ pars abſoluta, de ſummo hominis civilis bono aſſequēdo. Quæritur

1. *An Ethica Chriſtiano ſit neceſſaria, & ab eodem poſſit ſalvo Chriſtiani titulo addiſci? Poſterius Aff. ad Prius Diſt.*
2. *An Ethica ſecundum ideam ſit conſcribenda, & non ſecundum ſingulares & individuales actiones? Aff.*
3. *An Ethicæ objectum ſit homo? Aff. cum Diſt.*
4. *An juvenis poſſit eſſe idoneus auditor Ethicæ? D.*
5. *An benè moratis Ethica proſit? A.*

V. Partes Ethicæ duæ ſunt: 1. Εὐδαιμονολογία, agens de ſummo bono, tanquam fine. 2. Ἀρετολογία, agens de virtutibus, tanquam medijs ad ſummum bonum ducentibus.

Quæritur: Quanam Methodo Ethica ſit proponenda?
Reſp. Analyticâ.

VI. Summum bonum eſt operatio animæ rationalis ſecundum virtutem præſtantiſſimam in vitâ perfectâ.

Quæritur 1. An ſit definitio formalis à priori: Bonum eſt quod omnia appetunt? N.

2. *An omnia appetant bonum? A.*
3. *An ſit ſummum bonum? A.*
4. *An homo in hac vita aſſequi poſſit? D.*
5. *An ſummum bonum conſiſtat in voluptate? N.*
6. *An conſiſtat in honore? N.*
7. *An conſiſtat in virtutis habitu? N.*
8. *An in divitiis? N.*
9. *An in idea Platonica, quocunq; explicetur modo? N.*
10. *Utrum conſiſtat in bono increato vel creato? A. poſt.*

VII. Adjuncta ſummi boni ſunt propria vel communia. Propria ſunt, quæ ſemper & immediatè felicitatem conſequuntur, ut Bona conſcientia & voluptas honeſta.

IIX. Conſcientia eſt actus mentis, quo facienda dijudicantur. Officium Conſcientiæ pro objectorum diverſitate eſt duplex: vel enim accuſat vel excuſat. Inde Conſcientia eſt munda vel immunda.

IX. Conſcientia munda eſt, quæ nec de præterito injuſtè accuſatur, nec de præſenti injuſtè delectatur, Immunda eſt, quæ homines de malè factis accuſat, ſceleris perpetrati convincit, & ad deſperationem ſæpius abducit. Quæritur

1. *Num bona conſcientia adeò ſit excellens, ut fama debeat perferri? A.*
2. *An Conſcientia poſſit cogi? N.*

X. De

X. De voluptate videbimus inferius, ne crambem candem videamur recoquere. Sequuntur igitur Adjuncta communia, ita dicta, quia non tantum ijs, qui verâ beatitudine ſunt ornati, ſed alijs etiam, qui vel illâ carent, vel duntaxat ſpeciem habent conveniunt, ut: Proſpera fortuna & Honor.

XI. Proſpera fortuna eſt ornamentum felicitatis per ea bona, quæ extrinſecus viro bono obveniunt. Honoris definitionem reſervabimus, & quæ circa honorem movenda in ſynopſin alteram.

Quæritur 1. Num ad ſummum bonum alia bona neceſſariò requirantur? D.

2. An ſummum bonum acceſſione alterius boni poſſit fieri melius? D.

3. An fœlix poſſit reddi miſer? N.

4. An fortunæ poſterum ſecundæ vel adverſæ pertineant ad defunctos, & quidem ita eos afficiant, ut poſſint eorum ſtatum & conditionem mutare? N.

5. An ſummum bonum in hominis obitu aboleatur? D.

XII. Hactenus pars Ethicæ prima: ſequitur altera Ἀρετολογία dicta, agens de virtutibus.

XIII. Virtus eſt habitus, quo & vir bonus efficitur, & officio ſuo ac munere rectè fungitur.

Quæritur 1. An notatio virtutis, quâ à viro dicitur, excludat mulieres? N.

2. An virtutes naturâ nobis inſint? D.

3. An dentur notitiæ quædam ingeneratæ? A.

XIV. Virtus eſt duplex: Intellectualis & moralis.

Quæritur 1. An diſtributio illa virtutis ſit ſufficiens? A.

2. An virtutes intellectuales ſint Ethicæ conſiderationis? A.

3. *An virtutes intellectuales moralibus rectè poſſint præponi? A.*

XV. Virtus intellectualis eſt habitus animi rationalis, quâ mens noſtra affirmando vel negando verum enunciat. Eſtq; vel ſpeculativa vel practica.

XVI. Speculativa eſt, quæ res neceſſarias cognitionis gratiâ inveſtigat. Eſtq; vel ſimplex vel compoſita.

XVII. Simplex eſt quæ ex ſimplici habitu res cognoſcit, ut: intelligentia & ſcientia. Intelligentia eſt habitus mentis ſimplex, quo principia ſcientiarum & demonſtrationum cognoſcimus. Objectum igitur intelligentiæ ſunt principia & axiomata artiū & ſcientiarum.

XIIX. Scientia eſt habitus mentis demonſtrativus, quo percipimus concluſiones neceſſarias per cauſas veras, primas, immediatas, notiores & priores ipſis concluſionibus. Objectum igitur ſcientiæ eſt: ſcibile: quod eſt rerum tantùm neceſſariarum, æternarum, & quæ aliter ſe habere non poſſunt, comparaturq; demonſtratione.

XIX. Virtus intellectualis ſpeculativa ex duabus ſimplicibus compoſita, eſt: Sapientia: Eſt autem Sapientia, intelligentia & ſcientia rerum honoratiſſimarum & præſtantiſſimarum. Objectum igitur ſapientiæ ſunt principia & cauſæ rerum, atq; concluſiones inde allatæ. Quæritur

1. *An homo poſſit dici ſapiens? A.*
2. *An Philoſophia rectiùs dicatur σοφία? A.*

XX. Virtus intellectualis practica eſt, quæ res contingentes propter uſum aliquem practicum inquirit, ut: Ars & Prudentia. Ars eſt habitus cum vera ratione effectivus. Objectum Artis ſunt effectibilia. Quæritur:

An

An ars præſtet natura? *D.*

XXI. Prudentia eſt habitus cum recta ratione activus circa ea, quæ homini vel bona ſunt vel mala. Objectum Prudentiæ ſunt agibilia. Quæritur

1. *An Prudentia rectè virtutibus intellectualibus annumeretur?* *A.*
2. *An omnis virtus moralis poſſit dici Prudentia?* *D.*
3. *An Juvenis poſſit dici Prudens?* *D.*
4. *An Prudentia ſit oblivio?* *N.*

XXII. Atque hæc de virtutibus intellectualibus ad animam rationalem relatis: Sequuntur Morales, appetitum perficientes. Quæritur

Utrum ſubjectum inhaſionis virtutum moralium ſit appetitus ſenſuum; an verò voluntas? Affirmatur utrumq; cum Diſt.

XXIII. Virtus moralis eſt virtus, quæ in hominum ſocietate mores inſtruit. Eſtq; vel perfecta vel imperfecta.

XXIV. Virtus moralis perfecta eſt habitus animi eligendi judicio præditus, in mediocritate poſitus nos attingente, rationeq; ſic definita, ut prudens definiret.

XXV. Cauſæ efficientes virtutis moralis ſunt communes vel propriæ. Communes indicantur vocabulo, habitus: & ſunt natura, præbens ſemina, doctrina, præbens conſilium, exercitatio addens complementum. Quæritur:

Num exercitatio plus valeat quàm natura? *D.*

XXVI. Propriæ indicantur vocabulo, Electivus: & ſunt crebræ actiones mediocritati conformatæ.

XXVII. Actionum illarum conſideranda. 1. Principia. 2. Adjuncta. Principia Actionum ſunt quatuor

quatuor: Libertas, Voluntas, Deliberatio & Electio.

XXIIX. Libertas eſt potentia animi, quâ neq; naturæ inſtinctu, neq; vi, ſed arbitratu noſtro tendimus ad finem, libereq; aliquid velle vel reſpuere valemus. Quæritur: *An homo habeat liberũ arbitriũ in naturalibus? A.*

XXIX. Voluntas eſt appetitio veri boni vel apparentis cum ratione. Quæritur:

1. *Utrum voluntatis objectum ſit tantùm bonum verum; an apparens tantùm; an utrumq;? Aff. poſt.*
2. *An volenti fiat injuria? D.*
3. *An differant ſponte & voluntarium? A.*
4. *Utrum intellectus in errando primùm erret; an verò voluntas? Aff. cum Diſt.*

XXX. Deliberatio ſive conſultatio eſt ratiocinatio de medijs, per quæ ad finem pervenitur. Quæritur

1. *Num etiam ſit conſultatio de fine? D.*
2. *An, qui velit finem, velit etiam media ad finem ducentia? D.*
3. *An boni finis intentio actionem per ſe malam reddat honeſtam? N.*

XXXI. Electio eſt appetitio præmeditata eorum, quæ conſultatione ſunt prælata.

XXXII. Hæc de actionum principijs: Adjuncta actionum ſunt invitum & ſpontaneum. Invitum eſt cujus principium aliunde provenit. Eſtq; vel violentum vel imprudens. Violentum eſt, cum vi coactè aliquid agimus. Eſtq; vel abſolutè violentum, vel mixtum. Abſolutè violentum eſt cujus principium, h. eſt, cauſa movens eſt extra agentem, ita, ut ad eam actionem, is, qui agit nihil planè adiumenti conferat.

XXXIII. Mixta actio eſt, cujus principium, cum

in noſtra

Digitized by Google

in noſtra ſit poteſtate, & re per ſe mala videatur, ideoq; nec eligenda; reſpectu verò circumſtantiarum bona & eligenda cenſetur. Quæritur.

1. *An actio mixta ex parte poſsit dici voluntaria? A.*
2. *An iſte qui latroni redimendæ vitæ cauſa jure jurando aliquid promittit, & non ſolvit, veniam mereatur? D.*

XXXIV. Actio invita imprudens eſt, quæ ab agente circumſtantiarum quarundam ſingularium ignaro ſine fraude committitur, habetq; ſubſequentem pœnitentiam ob delictum commiſſum, atq; ſic excuſatur.

XXXV. Spontaneum eſt, cujus principium eſt in volente & agente.

XXXVI. Hæc de cauſa efficiente virtutum; Forma, eſt: cum lege & ratione convenientia. Formam conſequens, ſive eſſentiale conſecutivum, eſt: mediocritas ad nos relata, & à prudente definita Quæritur.

1. *An virtus in mediocritate ſit poſita? A.*
2. *Utrum obſervet medium rei; an perſonæ? A. poſt.*
3. *An definitio virtutis tb. 24. Verbis Ariſtotelis propoſita ſit vitioſa? N.*

XXXVII. Oppoſitum virtutis eſt Vitium, quod eſt habitus electivus, cum mediocritate, rectâ ratione & judicio viri prudentis pugnans. Quæritur.

1. *An magis ſit fugiendus exceſſus, quàm defectus? D.*
2. *An homo improbus ſponte ſit malus? D.*
3. *An de vitÿs ſit agendum in Ethica? A.*

XXXIIX. Objectum virtutis ſunt Affectus, quos ut virtute moderandos & corrigendos conſiderat Ethicus, Affectus autem ſunt qualitates animi, quibus commoventur homines ad aliquid fugiendum aut ex-

Digitized by Google

petendum, agendum aut non agendum, quæ conjunctam habent vel voluptatem aliquam vel moleſtiam ſeu dolorem. Quæritur.

1. *An cor ſit affectuum ſubjectum? A.*
2. *An affectus ſint opiniones? N.*
3. *An affectus tota ſua latitudine ſint pravi? N.*
4. *An affectus quatenus tales cadant in Deum? N.*
5. *Utrum affectus ſint naturales, an verò acquiſiti? D.*

XXXIX. Affectus ſunt vel ſimplices vel mixti: Simplices ſunt vel ex Bono vel Malo: Ex bono qui ſunt, ſunt vel ex bono præſenti, ut Lætitia; vel futuro, ut Spes & Amor. Ex malo qui ſunt, itidem ſunt vel ex malo præſenti, ut Triſtitia & Miſericordia; vel futuro, ut Metus & Pudor. Mixti ſunt zelus, zelotypia, ἐπιχαιρεκακία, ira, odium.

XL. Comites affectuum ſunt vel Voluptas vel dolor. Voluptas eſt operatio habitus ſecundum naturam minimè impedita: Eſtq; vel animi vel corporis. Voluptas animi eſt, quæ ex perfectorum animi habituum actionibus profecta per ſe abſq; dolore eſt jucunda. Voluptas corporis eſt, quam natura neceſſitati ſatisfaciens ex rectæ rationis præſcripto corpus percipit. Quæritur.

1. *Num amor ſit prior voluptate vel contra? D.*
2. *An voluptas quædam poſſit dici bona? A.*

XLI. Dolor eſt operatio ad id, quod eſt contra naturam, declinandum impellens.

XLII. Adjunctum virtutis eſt Amicitia. Eſt autem Amicitia benevolentia minimè latens erga eos qui amantur animo concepta, vel virtutis vel voluptatis vel utilitatis alicujs gratiâ.

Species

XLIII. Species Amicitiæ tres ſunt: Vna dicitur honeſta, quæ exſiſtit propter virtutem & honeſtatem, quam ineſſe putamus ei, quem amamus: Altera dicitur jucunda, quæ exſiſtit propter voluptatem, quam percipimus ab eo quem amamus. Tertia nominatur utilis, quæ ſuſcipitur propter utilitatem, quem ſperamus nos conſecuturos ab eo, quem amamus. Quæritur.

1. *Utrum amicitia ſit virtus; an virtutis adjunctum? A. poſt.*
2. *Utrum amicitia magis conſiſtat in τῷ φιλεῖν, quàm in τῷ φιλεῖσθαι? A. prius.*
3. *An πολυφιλία optanda? D.*
4. *An aliquis ſeipſum poſſit amare? A.*
5. *An amicitia fraterna inter ſcyphos contracta ſint habenda rata? D.*
6. *An amicitia poſſit eſſe inter inæquales? D.*
7. *An Adulatores poſſint annumerari amicis? N.*
8. *An inter malos vera ſit amicitia? N.*
9. *An amicitia contracta aliquando ſit renuncianda? A.*
10. *An amicitia ſit præferenda affinitati? D.*
11. *Amicitia utilis & jucunda, utra magis amicitia dicenda? Reſp. Jucunda.*
12. *Quænam ex tribus amicitiæ ſpeciebus ſit maximè ſtabilis & firma? Reſp. Honeſta.*

XLIV. Hactenus de virtutibus in genere, ſequitur earundem diviſio. Virtus igitur refertur vel immediatè ad Deum vel ad homines. Ad Deum quæ refertur dicitur Pietas. Quæritur:

An de Pietate ſit agendum in Ethicis? A.

Pietas

XLV. Pietas eſt virtus, quæ immediatè circa Deum patefactum in creatione mundi & verbo Eccleſiæ tradito verſatur, ipſum rectè agnoſcendo & colendo. Objectum pietatis eſt Deus.

XLVI. Requiſita ſunt duo: 1. Vera Dei notitia. 2. Verus Dei agniti cultus. Notitia eſt vel naturalis, quâ ex libro naturæ per principium vel inſitum vel acquiſitum; vel ſpiritualis, quâ ex libro ſcripturæ Deum cognoſcimus. Quæritur.

1. *An Deus ex lumine naturæ poſſit cognoſci ratione ſuæ eſſentiæ? N.*
2. *An aliquo tamen modo poſſit cognoſci? A.*
3. *An iſta naturalis notitia ad ſalutem ſufficiens? N.*
4. *An Virtutes Ethnicorum ſint peccatum? D.*
5. *Utrum virtutes Ethnicorum à virtutibus Chriſtianorum differant ſpecie; an verò gradibus? D.*

XLVII. Cultus Dei eſt vel internus cordis, vel externus oris. Quæritur.

1. *An aliquis poſſit cogi in negotio Religionem & conſcientiam concernente? N.*
2. *An religionis occultatio periculo vitæ imminente ſit licita? N.*
3. *An Muſicæ inſtrumentalis uſus non tantùm ad politica; verùm etiam ad divina ſe extendat? A.*

Ornatiſſimo nec non doctiſſimo juveni JOHANNI BERNERO, *populari ac contubernali ſuo grat:*

OMnibus inſervit præclara ſcientia morum,
Qui, ſatagunt vitam vivere, cunq;, piam.
Indiget hac templum, verè hanc quoq; curia poſcit.
Hac ſine nil domui dexteritatis ineſt.
Ergò brevem meritò capis hanc, peramande, Synopſin,
Et vitæ rectè conſulis ipſe tuæ.

GEORGIUS EVERINCK Oſsnab. Weſtph.

Digitized by Google

Collegij Ethici

DISPUTATIO SECUNDA

De

SUMMI BONI ESSENTIA,

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtphali S. S. Theol. Studioſi.

Publicè defendendam ſuſcipit

CASPARUS MOLDENHOWERUS Sclav. Pom.

ad diem Decemb. horis a. 7. ante merid. in Collegio Unicornis.

Caſus cap, 9. lib. 1. Speculi.

Fælicitas ut palma homini proponitur, ſed ſine induſtria hominis non acquiritur. Indignus eſt dato beneficio, qui danti manum non porrigit. jure profectò miſer eſt, qui datum à Deo bonum ſedulò ac diligenter non quærit.

R O S T O C H I

Typis exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M. DC. XVII.

Digitized by Google

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS CONSULTISSIMISQ; VIRIS,

ILLVSTRISSIMI AC CELSISSIMI

Principis PHILIPPI II. *Stetini Pomeranorum Ducis &c.* CANCELLARIO *digniſſimo*,

DN. MARTINO CHEMNITIO J. U. D.

Judicij aulici præfecto incorruptiſſimo:

Dn. MATTHIÆ à Karnitze Hered. in Neydes.

Conſiliario conſultiſſimo.

Dn. J. VALENTINO à Winter J.U.D. Comiti Palatino &c.

Nec non literatiſſimo & ſpectatiſſimo Viro

Dn. GEORGIO Spantecowen/ civi Roſtoch. primario,

Dn. Mæcenatibus, Fautoribus & Promotoribus ſuis ætatem ſuſpiciendis.

FErè nimium eſt, Magnifici, Nobiliſſimi, conſultiſſimi & ſpectatiſſimi Viri, quantum ego mihi de humanitate veſtra ſingulari, ſummaq; patientia perſvadeam, qui iſtas chartas meorum ſtudiorum primitias, vobis inſcribere non erubui. Quamvis enim non ignorabam parum eſſe prudentis, ſua ipſius opera extenuare; ſeriò tamen vobis affirmo, ita me veriſſimè dicere, nihil quicquam in his chartis eſſe, quod aut editionis hujus, aut nominis veſtri Magnifici titulo à me dignum habeatur. Nihilominus tamen, quantæ quantæ ſunt, eæ ſunt quæ à tenuitate mea proficiſci potuere, licet non quæ veſtrum ſubire debebant aſpectum Satis itaq; mihi eſto; ſi vel hirquis eas intuentes, hoc exinde cognoveritis, ex eorum me eſſe numero; qui ob ſingularem, quo omnia liberalia ſtudia, ut quorum eſtis peritiſſimi, omnesq; ipſorum cultores fovetis, favorem ad nomen veſtrum aſſurgunt. Hoc enim ut teſtatum darem, haſce vobis conſecrare volui, ut dixi, Academicarum mearum exercitationum primitias: Æquos vos fore ſcio, rerum cenſores, neq; exacturos à me illud quod pro dignitate veſtra debui; ſed quod pro tenuitate mea præſtare potui, æqui boniq; conſulturos. Qua ſpe fretus, Veſtræ benevolentiæ, cujus cultor ero perpetuus, me totum ſtudiaq; mea omnia; Vos verò divinæ tutelæ animitùs commendo. Dabantur ex Megapolenſium roſeto.

Vrm. M. Obſervantiſſimus

Caſparus Moldenbower, *reſpondens.*

Digitized by Google

Theſis I.

C*Onſideratâ Ethices naturâ in generali definitione & diſtributione, ad ſpecialem partium tractationem acceſſum facimus: ubi primò ſeſe nobis offert pertractanda* pars prima εὐδαιμονολογία dicta, agens de ſummo bono: *ſiquidem de mediis diſputare ſine præſuppoſito fine perinde eſſet, atq; ventis vela dare ad nullum directa portum.* Cl. Meiſnerus diſſert. de ſummo bono p. 68. ex Seneca. *Quo etjam reſpiciunt rationes Donaldſoni theſ. ult. præc. diſp. citata. Quibus & hæc (quia eſt ipſius* Philoſophi l. 1. Eth. Nicom. cap. 4.) *ſuperaddatur: quæ in aliqua doctrina nobis ſunt notiora, per ea debet fieri probatio & inſtitutio. Atqui in morali doctrina actiones virtutum nobis ſunt notiores. quia incurrunt in ſenſus & ſunt rerum ſingularium. Ergò in doctrina morali probatio & inſtitutio fieri debet ex actionibus virtutum.*

2. Doctrina de ſummo bono ut ſit illuſtrior, pauca de bono in genere præmittemus. *Antiquam Boni definitionem ex Ariſtotele vidimus th. 13. diſp. 1. & quæ circa eam notanda monuimus, quæ exindè repetantur: Uberioris declarationis gratiâ addimus, quod deſumpta ſit à poſteriori & proprio formæ, non à priori vel ipsâ bonitatis formâ, quæ non conſiſtit in appetendo, ſed in perfectione: vel, deſumpta eſt ex eo, quod conſequitur, non quod conſtituit; Non enim res ideò bona eſt, quia appetitur, appetive poteſt; ſed contrà, quia bona eſt, ideò appetitur. Rectius igitur* Bonitas definitur, quod ſit perfectio cuiq; debita & conveniens. *Tum enim res in genere bona eſt, cum perfectionem ſuam adepta eſt, & ideò appetitur, quia ob perfectionem*

Digitized by Google

iſtam nobis convenire exiſtimatur. Cl. Meiſner. c. 1. q. 1 diſſert. de ſum. bono.

3. *Bonum ergò formaliter dicit Ens, habens Entitatem, quâ perficitur. Et, Bonitas eſt Entitas perficiens: Itaq; in Entibus Entitativa perfectio & eorundem Bonitas idem ſunt:* Bonitas, *inquit Goclen. p. 202. Metaph. Timpleri,* eſt perfectio Entis, quà formaliter bonum eſt.

4. *De quæſtione autem illa:* Num forma bonitatis in appetendo ſit poſita? *& veteres & recentiores inter ſe diſſenſiones alunt: Alij ut* Fonſeca & Meiſnerus *ſimpliciter negativam tuentur, ſive ſpectemus appetibilitatem; ſive appetendi actum;* Cl. Scheiblerus l. 1. c. 10. p. 230. operis Metaph. *deciſivam hanc ponit, ut diſtinguat inter appetitionem ſive actualem appetitum (qui etjam ſignificari poteſt voce appetibilitatis) in quo non conſiſtit ratio boni, ſed eam conſequitur: & ipſam appetibilitatem ſumptam in re appetibili, à parte rei illius, quam appetibilitatem nihil aliud eſſe, quàm ejus bonitatem aſſerit, quia rem aliquam talem eſſe, qua movere poſſit alterius appetitum eſt nihil aliud, quàm eam eſſe bonam. Sicut ex conſentiente Doctorum doctrina, rem aliquam veram eſſe, eſt nihil aliud, quàm eam eſſe intelligibilem, hoc eſt aptam, qua ſua eſſentia conformem conceptum in intellectum aliquem ingerere poſſit. Hæc Scheiblerus, à quo non eſt alienus* Timplerus q. 3. cap. 9. l. 2. Metaph. *expreſſis verbis aſſerens: Appetibilitatem eſſe eſſentialem boni proprietatem.*

5. Timplerus q. 2. cap. 9. l. 2. Met. *Definitionem Bonitatis, quâ perfectio Entis definitur, refutat, eo quod ſit latior ſuo definito. Licet enim, inquit, omnis bonitas eſt perfectio Entis: tamen non omnis perfectio Entis eſt Bonitas: cum perfectio ſe habeat ad bonitatem, tanquàm genus ad ſpeciem.*

6. Ex

Digitized by Google

6. Ex diverſarum harum ſententiarum tricis, ut nos extricemus,& probabiliorem ſententiam explicemus,ita progredi libet: 1. *Bonum de rebus dicitur dupliciter: vel quia res eſt bona in ſeſe; vel quia eſt bona alteri: quoad priorem ſignificationem non conſtituit affectionem Entis, ſed planè eſt idem cum Eſſentia: Et hactenus perfectio & bonitas, quâ res in ſe bona dicitur, idem ſunt, teſte Suaretz. in Metaph. diſp. 10. ſ. 3. n. 4. Bonitas autem tranſcendentalis, poſteriori modo conſideratur. Eſtq; illa ſecundum quam res eſt bona in reſpectu ad aliud.*

7. 2. *Bonitas definitur per perfectionem, eamq; non naturalem, nec moralem, ſed tranſcendentalem, quæ negat defectum cujusq; rei in ſuo genere; quia perfectum dicitur, cui nihil deeſt: Quin & Bonum & Finis convertuntur; Finis autem cujusq; rei eſt ejusdem perfectio; Ergo & Bonum: 3. Perfectio igitur habet rationem generis, Bonitas ſpeciei. Ergò (concludo contra Timplerum) Bonitas per perfectionem poteſt definiri, addito formali, quod eſt reſpectus, ſive relatio rationis, quam convenientiam ad alia dicimus. 4. Convenientia ſive congruẽtia illa eſt primum appetibilitatis fundamentum. 5. Appetibilitas igitur eſt Eſſentialis Boni proprietas non conſtitutiva à priori, ſed conſecutiva à poſteriori.*

8. *Sextò*: conſtitutivam autem ſive formale Boni eſſe congruentiam ita probari poteſt. 1. à proprietate formæ: *Quo ſublato res ipſa perit, in eo eſt forma rei. At ſublatâ congruentiâ mutatur bonitas: quia quod antea bonum alicui erat,quia congruebat; id poſtquam deſijt congruere, non eſt ulterius bonum.* Arniſ. in Epito. Metaph. pag. 134. *Ergò formalitas & eſſentia Bonitatis eſt in congruentia Entis.* Clariſs.Finckius Diſp.Metaph. 6. 2.Ab objecto appetitus,ejusq; objecti causâ; *Illud appetimus*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quod eſt bonum, propter quod autem rem appetimus illud conſtituit bonum. Atqui propter convenientiam appetimus rem. Ergò convenientia conſtituit bonum, illud enim appetimus nobis, quod congruit nobis, vel alijs, quod congruit alijs.

9. *Septimò: convenientia illa explicatur vel à priori vel à poſteriori: A priori explicatur, quando æſtimatur ex ordine ad creatorem; A poſteriori quando ex ordine ad creaturas. Convenientia enim ad Deum eſt cauſa convenientiæ iſtius quâ quæq; creatura ſibi congruit, & hæc ab illa procedit; convenientia verò, quâ quæq; creatura ſibi congruit, eſt cauſa convenientiæ ad appetitum. Sed plus ſatis de hiſce hoc quidem loco, ex quibus facilè videre eſt, quid de prædictis ſententijs ſit habendum:* Pergo ad boni diviſiones.

10. *Varij varias proponunt Boni diviſiones, quas ſi non omnes præcipuas tamen tabellâ in ſynopſi quaſi jam jam exhibebimus, unicam hanc, quæ in tabella ita diſtinctè non poteſt proponi, præmittentes: Bonum ſumitur dupliciter: ſimpliciter & ſecundum quid: Bonum ſimpliciter eſt illud, quod eſt perfectum ſuis perfectionibus ultimis, quæ ſunt qualitates ſibi debitæ: ita homo eſt bonus ſimpliciter, cum ad ſibi debitam perfectionem per habitus intellectuales & morales pervenerit. Bonum ſecundum quid, eſt illud, in quo jam reperitur prima perfectio, quæ omni alij perfectioni ſupponitur, & hoc eſt ipſum eſſe ſive exiſtere, unde quæcunq; habent eſſe, dicuntur bona ſecundum quid: Quæ diſtinctio ideò notanda, ut ſciamus, quod & quomodo Ens & bonum idem ſint & differant:* Javellus l. 4. Metaph. quæſt. 3. p. 113. *ſequitur tabella.*

Bonum

Bonum eſt

- **Verum**, *quod tale eſt re ipſa, quale videtur.*
  - **Abſolutum**, *quod ſine reſpectu eſt bonum.*
    - **Independens**, *quod omnia eminentiſſimè in ſe continet, omnis boni eſt origo, & omne bonũ perficit, ut ſolus Deus.*
    - **Dependens**
      - **Subſtantiale**, *quod eſt quævis ſubſtãtia creata.*
      - **Accidẽtale**, *quod Enti ineſt mutabiliter.*
        - **Tranſcendentale**, *de quo in præcedentibus.*
        - **Naturale**, *quod eſt congruentia naturæ.*
        - **Morale** *ſive humanum*
          - **Animi**, *quod eſt ſupremum, quale quid eſt doctrina.*
          - **Corporis**, *quod eſt medium, quale quid eſt ſanitas.*
          - **Fortunæ**, *quod eſt infimum, quale quid ſunt honor, fama, divitiæ, &c.*
  - **Reſpectivũ**, *per quod Ens alteri verè eſt bonum.*
    - **Honeſtum**, *quod per ſe ſine ullo ad utilitatem vel jucunditatem reſpectu deſideratur.*
    - **Utile**, *quod propter commodum.*
    - **Jucundum**, *quod propter delectationem appetitur.*
- **Apparens**, *quod exiſtimatur bonum ob quandam ſimilitudinem, in re tamen non eſt, & de ultimo fine abducit.*

12. His de bono in genere præmiſsis, ipſum ſummum bonum, *(quo de præcipuum noſtrum inſtitutum)* videbimus, & quidem principaliter hac Diſputatione. 1. An ſit? 2. Quid ſit? 3. An homo in hac vita aſſequi poſſit? 4. Quid non ſit?

13. *Cum non Entis nulla dantur Accidentia, ideò ante omnia meritò quæritur*: Anne ſit ſummum bonum? *Hoc enim negato fruſtranea & inutilis hæc noſtra de ſummo bono foret collatio*: Eſſe *igitur* probatur 1. à genere: *Res omnes agunt propter finem ultimum. Ergò & homo: Antecedens patet ex* 1. *Eth Nic. c.* 1. *ubi omnia bonum appetere dicuntur. addo, quod Deus & natura nihil faciant fruſtrà; fine autem negato fruſtrà facerent: Conſequentia patet ex canone Logico: Quicquid dicitur de genere, etiam de ſpecie dici neceſſe eſt.*

14. 2. *ab adjunctâ infiniti fugâ: Omnes homines agunt propter finem, id quod univerſalis hominum conatus abundè teſtatur, & ſtultum certè foret agere ſine fine & fruſtrà: Quia ergò fines dantur, neceſſariò etiam concedendus erit aliquis ſummus & ultimus, in quo acquieſcendum, & ultra quem procedere non poſſumus. Atqui tale quid eſt ſummum bonum. Ergò datur: Si enim non daretur, in quo acquieſcere poſſemus, appetitus procederet in infinitum; ſed ſicut natura abhorret à vacuo, ita & ab infinito.*

15. 3. *à deliberata hominis creatione: Deus nihil facit fruſtrà. Ergò nec hominem fruſtrà in hanc vitam condidit. Ergò & homo finem ſummum ad quem tendat, ſibi propoſitum habebit: quia aliàs omnes actiones forent incertæ, dubiæ, fruſtraneæ, & omnis noſter futurus eſſet inanis & vanus, Ariſt.* 1. *Eth. c.* 2.

Digitized by Google

Collegij Ethici
DISPUTATIO TERTIA
De
SUMMI BONI ADJUNCTIS,

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtphali S.S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipit

GODTSCHALCUS Bildthodt/*Bilſeldenſ. Weſtph.*

Ad diem 21. Jan. horis 1. pomer. Loco conſtituto.

Lycurgus;

Exercitatio plus habet momenti ad honeſtatem quàm natura.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M. DC. XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Theſis I.

REſtat ex quæſtione ultimâ præcedentis Diſputationis examinanda ſententia* Platonis eſſentiam ſummi boni in idea conſtituentis, *in quem vehementer invehitur* Ariſtoteles *l. 1. Nic. c. 6. ne autem modeſtiæ & officij fines videatur excedere, primò ſe honeſtè excuſat,* Etſi, *inquit,* nobis perardua exiſtit quæſtio, quod nobis amici ideas induxerint, tamen fortaſſis præſtat ac opus eſt veritatis retinendæ cauſâ, ſua etjam tollere, philoſophos præſertim. Etſi enim utriq; cari ſunt, pium eſt pluris æſtimare veritatem. *Rectiſſimè hactenus Ariſtoteles, jure enim authoritas cedit veritati, & non tàm pro authoritate quàm pro veritate dimicandum eſſe ratio, & communis liberè philoſophantium Chorus ſuadet: quod & nobis dictum putemus, nec ſimpliciter quis ſed quid dicat attendamus. Sit igitur nobis amicus Socrates, amicus Plato, amicus Ariſtoteles, amicus Ramus, ſed magis amica veritas.*

2. *vehementer invehitur, dixi, in Platonem Ariſtoteles; vehementius in Ariſtotelem* Caſus *l. 1. ſpec. Mor. quæſt. c. 6. quandoquidem illum in Philoſophando quidem omnium principem, in refutando verò camelum nominat, quod illos calcibus invidiæ petat, ex quorum uberibus nectar Philoſophiæ ſuxiſſet: Si refellit (inquit Caſus) aut mutat verbum, aut invertit ſententiam, aut fingit novum. Dura hæc ſunt, ego non dixerim, placeat ipſi commentum, mihi hercle non ſit veriſimile: licet enim ſub judice adhuc lis ſit, quid per Ideam Plato intellexerit? & licet maximam partem plauſibilibus, ijsq; nō temerè contemnendis rationibus moti eò inclinare videantur, quod Ariſtoteles mentem Platonis præceptoris ſui non ſatis*

Digitized by Google

dextrè aſſequutus ſit, videatur Piccol. *gradu 9. c. 24. 25. 26.* Gocl. *quæſt.* 17. 18. 19. *Exerc. Eth.* Donaldſ. *l. 1. Synopſ. c. 2. p. 29. Vero eſt ſimilius, inquit, altius Platonem penetraſſe. intell. ac Ariſtoteles putat.* Caſus *d. l. abſit tamen, dicamus illum crimen falſi temerè commiſiſſe, mentemq́ præceptoris ſui pervertiſſe, quia ſcimus 1. quod Platonem adeò magnifecerit, ut eo vivo ſcholam ſuam aperire noluerit, mortuoq́ aram poſuerit, cum hoc elogio:* Nulla ferent talem ſecla futura virum. *2. quod facilè conjicere potuerit, quantam hoc pacto reprehenſionem incurſurus eſſet apud Platonis diſcipulos, qui de injuriâ præceptori factâ procul dubio conqueſti fuiſſent.*

3. Sunt autem tres præcipuè de Idea Platonis ſententiæ: *Ariſtoteles Platonem ſtatuiſſe ſcribit, omnium rerum quaſdam fuiſſe ab æterno Ideas, id eſt, formas eſſentiales, univerſales per ſe alicubi exiſtentes, ad quarum exemplar & ſimilitudinem quaſi deinde res omnes reliquæ ſingulares ſint formatæ: ita etjam omnium bonorum ſingularium, quæ in hoc mundo bona videntur, fuiſſe quandam ab æterno ideam, & eſſentialem formam boni, à quâ iſta ſingularia bona omnia defluxerunt, atq́ in hujus ideæ contemplatione & aſpectu hominis fœlicitatem & ſummum bonum poſitum eſſe.* Quam ſeparatam Ideam rectiſſimè Ariſtoteles impugnat *l. 1. Nic. c. 6.* argumentis quatuor: 1. ſumitur ex dogmate ipſorum Platonicorum dicentium: *numerum non eſſe communem ideam, quia in numeris eſt prius & poſterius: Unitas enim prior eſt binario, binarius ternario, & ſic conſequenter: hinc tale format argumentum: In quibus eſt prius & poſterius, eorum non eſt communis Idea. Atqui in bonis eſt prius & poſterius. Ergò. Propoſitio eſt Platonis. Aſſumptionem probat à diverſis bonorum ſpeciebus: Nam alia ſunt bona per ſe, quæ ſemper ſunt priora illis, quæ ad aliud referũtur.*

Et quæ-

Digitized by Google

Et quædam bona ſunt in ſubſtantia, quædam in reliquis prædicamentis, quæ omnia ſunt accidentia: Semper autem ſubſtantia prior eſt accidentibus. *2.* à genere: *Quorum eſt communis idea, ea ſunt in eodem prædicamento (quia debent habere idem genus:) Atqui bona non ſunt in eodem prædicamento. Ergò. Aſſumptio probatur: quia in omnibus prædicamentis reperitur aliquid, quod dici poteſt bonum: Unde & bonum eſt aliquod eorum ex quinq; tranſcendentibus.* *3.* ab abſurdo: *Quorum eadem & communis eſt idea, eorum quoq; eadem eſt ſcientia: ſed omnium bonorum non eſt una & eadem ſcientia. E. Propoſitionis veritas exindè patet, quia omnis ſcientia ratione formæ & definitionis eſt, ſine quibus nihil perfectè ſciri poteſt. Aſſumptionis claritas non latet, ſua igitur luce radiat. 4. itidem* ab abſurdo: *Diverſarum rerum diverſæ ſunt definitiones. Sed Idearum non ſunt diverſæ definitiones à rebus ſingularibus, quarum ſunt Ideæ. Ergò revera ſunt nullæ Ideæ ſeparatæ & per ſe exiſtentes. Aſſumptionem declarat exemplis: hominis enim & Ideæ hominis eadem eſt definitio: Ideæ bovis, leonis aut aſini eadem eſt definitio, quæ eſt uniuscujusq; bovis, leonis aut aſini.* Quod ſi verò quis objiciat: *Platonem Ideas ſtatuere ſempiternas, res autem ſingulares eſſe caducas: proindeq; Ideas diverſas eſſe à rebus ſingularibus.* Reſpondet *hanc diverſitatem tantùm eſſe in accidente, nempe ratione temporis, non autem in ſubſtantia: Accidentia autem non mutant rerum definitiones: E.g. Hominum, quod ad ſubſtantiam attinet, eadem eſt definitio, nam de omnibus dicitur animal rationale: licet ratione accidentium plurimum inter ſe differant. Præterea temporis diuturnitas aut brevitas, nihil poteſt addere aut demere definitionibus aut naturis rerum. E.g. Infans, qui unum ſolum diem vixit, eandem habet hominis definitionem,*

quam habet Mathuſalem, qui inter omnes homines diutiſſimè vixit annos 969. Gen 5. v.27.

4. *Deinde ſunt, qui per Ideas Platonem intellexiſſe ajunt rerum imagines, in ipſa mente divina formatas: ita n.* Pererius *l. 8. Phyſ. c.1. p. 475. quatuor cauſis enumeratis inquit: Platonici adjungunt quintam cauſam, quam ipſi vocant Ideam & exemplar. Namq; Deus molitor effectorq; omnium rerum, cùm nihil agat niſi ſapienter, id eſt, perfectè intelligendo quid & quorſum agat, habere debet ipſe Ideas, id eſt, notiones & formas intelligibiles earum rerum, quas agit, nihil enim fit in rebus, quod non antè, imò quod non ex omni æternitate fuerit in Intelligentia & ſcientia divina: ac velut artifex animo conceptam habet Ideam & formam operis quod efficit, ita Deus omnium ſuorum operum ideas & rationes habet.* Licet rem ipſam non negem, *Ideam tamen illam peculiarem cauſæ ſpeciem præter illas quatuor vulgò receptas non auſim affirmare: quin &* dubitatur, num Plato per Ideas ſuas intellexerit iſtas divinæ mentis imagines? *Nam ita ſcribit l. 7. de Republ. f. 481. Edit. Lugdunenſis anno 90. Arbitror in ordine ipſo intelligibili boni ipſius Ideam ſupremam conſiſtere, vixq; videri: ſi autem viſa fuerit, aſſerendum, eam omnibus omnium, quæ recta & bona ſunt, cauſam eſſe, cùm ipſa in loco viſibili lumen creaverit, & luminis authorem, ſcilicet Solem. Per hanc certè Ideam (ſunt verba* Meiſneri *c. 1. q. 11. Diſſert. de ſummo Bono) non intelligitur imago in Deo exemplaris, ſed ſubſtantia aliqua ſubſiſtens, & vel ipſe Deus, vel aliquid extra Deum, uti verba videntur innuere.*

5. *Deniq; ſunt qui plauſibiliter ita progrediuntur: Platonem ſummum bonum in ſuis Dialogis conſiderare dupliciter: 1.* καθ' αὑτὸ καὶ πρώτως, *quod ſit Deus omnis felicitatis Idea,*

Idea, ipsa ἀγαθότης *bonitas, omnium rerum* ἀρχὴ *v. 2.* κατ' ἄνθρωπον, *quatenus in hominem bonum illud cadit, quod bonum ſit ſimilitudo Dei, quæ eſſe non poſſit, niſi infiniti boni ad nos maneant rivuli, quæq; ſimilitudo in hoc conſiſtat, ut ſimus illius boni participes: quod fiat cum mens noſtra cognoſcit illud ſummum bonum, & amplectitur, voluntas amat, eoq; perfruitur*: Platonem igitur, *ajunt*, agere de cœleſti beatitudine *& ſentire hujus mortalis & caducæ vitæ beatitudinem eſſe imperfectam; alterius verò futuræ omnibus numeris perfectam, cumulatamq;, quâ mens hominis (tanquàm optimo ſuo fine ad quem condita eſt) non planè potitur, donec à corpore liberata ad ſuum authorem revertitur. Ita* Goclenius *d. l. à quo non ſunt alieni* Piccolomineus *&* Donaldſonus. *Quæ ſententia, ſive ſit Platonis ſive non, in ſe conſiderata, nihil habet abſurdi & impietatis, quia ſi Theologicè loqui velimus, nulla major eſt fœlicitas, quàm Deum contemplari & videre, Joh. 17. v. 3. Hæc eſt vita æterna, ut cognocant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum: Unde &* Finckius *par. 1. Sched. 74. p. 241. adductus, ut aſſerat beatitudinem non in bono creato, ſed increato, hoc eſt, in Deo ter opt. max. conſiſtere.* Quodq; Ariſtoteles malè in bono aliquo creato collocet, probat argumentis quatuor *p. præced. quæ quicquid ponderis habeant, breviter videbimus*:

6. *1. Summum bonum eſt ſimpliciter ultimum, quod ad nihil aliud refertur, ſed ad quod referuntur alia omnia. Ariſt. 10. Eth. c. 2. & 7. Atqui in bono creato non eſt ſimpliciter ultimum, & refertur ad aliud aliquod bonum. Ergò.* Reſp: *Diſt: inter ſummum bonum Theologicum ſpirituale & Politicum civile: Refertur hoc ad illud, quod eſt alterius vitæ, non ad aliud quod eſt hujus vitæ, id quod vult Ariſtoteles*

in pro-

Digitized by Google

in propoſitione, è quâ non aſſumitur Aſſumptio, quippe quæ agit de alio bono alterius vitæ. 2. concedimus totum argumentum, ſiquidem concludit bonum creatum non poſſe eſſe ſummum bonum ſpirituale, quod largimur largiſſimè.

7. 2. Summum bonum eſt aliquid ſecundum ſe perfectũ, & maximè excellens inter alia bona. Ariſt. 1. Eth. c. 7. Atq; in bono creato tale quid non eſt. Ergò. Reſp. Perfectum dicitur dupliciter. 1. ſimpliciter in ſe reſpectu ſui, & dicitur illud, cui nihil deeſt quoad ſui perfectionem. 2. comparatè in reſpectu vel ad ſuperius, & dicitur imperfectum; vel ad inferius & dicitur perfectum: Summum bonum dicitur perfectum, 1. reſpectu ſui. 2. reſpectu aliorum bonorum hujus vitæ inter quæ maximè excellit. Negatur igitur Aſſumptio.

8. 3. Beatitudo expellit omnem miſeriam, & eſt bonum αὐταρκὲς ſufficiens. Ariſt. 1. Eth. c. 7. Atqui cum bonis creatis plurima mala & pericula eſſe poſſunt conjuncta Ariſt. 1 Eth. c. 11. & 12. quæ vitam beatam labefactant, l. 10. Eth. c. 8. Ergo. Reſp. ad propoſitionem: 1 Beatitudo expellit omnem miſeriam Ethicam, i. e. vitia. 2. expellit miſeriam ſtrictè ita dictam & pericula ita ut non ſuccumbat & ſubmergatur, ſed ut vincat & emergat. Ad minorem: Mala illa ſive miſeria vitam beatam quidem labefactant, non tollunt, labefactant quoad ornamentum non quoad eſſentiam. 2. Beatitudo eſt bonum αὐταρκὲς i. e. ſe ipſo ſolo contentum, quia ſub ſe complectitur omnia bona, quæ homo poſſet expetere nim. civiliter ad vitam hanc civilem benè beatéq; peragendam. 3. Αὐτάρκεια id eſt, rerum ſufficientia, non eſt æſtimanda, τῇ ὑπερβολῇ, id eſt, nimia copia eſt rerum abundantia, ſed potius animo, qui ſua ſorte eſt contentus. Ariſt. 10. Eth. c. 8.

9. 4 Quia ſummum bonum ſatiat appetitum nullius rei indigum eſt &c. Atqui bonum creatum non ſatiat &c.

Reſp. Ne-

Reſp. *Negando Aſſumptionem, cujus falſitas ex prædictis ſatis perſpicua.*

10. Poſito jam, Platonem exiſtimaſſe, quod homo tunc ſit beatus, cum ad illius ſeparati boni, Dei nim. cognitionem pervenit: quæritur ulterius: Num ſummum bonum in contemplatione ſit ſitum? *Negatur 1. Quia hic quæritur de hujusmodi bono, quod hominum induſtria poteſt comparari; Sed Idea boni Platonica actionibus noſtris comparari non poteſt, cum bonum ſit ſejunctum, ut vix animo comprehendi, nedum ſtudio aut induſtria humana comparari poteſt. 2. Contemplatio hujus Ideæ ad felicitatem conſequendam nihil confert, cum non in actione, ſed in nuda ſpeculatione, & à practicis operibus procul remota conſiſtat. Conſiſtit, inquam, in γνώσει vel ſciendo, non in πράξει vel agendo* Ergò *vela contrahentes* concludamus: Ideam Platonicam ſummum hominis bonum practicum non eſſe, quicquid tandem nomine Ideæ Plato intellexerit.

11. Hæc de ſummi boni eſſentia: Adjuncta ſummi boni ſunt vel propria vel communia. Propria *ſunt, quæ ſemper & immediatè felicitatem conſequuntur, proindeq; ſunt eſſentiale fœlicitatis non conſtituens, ſed conſequens, ut:* Bona conſcientia & voluptas honeſta.

12. Conſcientiam dari qui foris mento inficiabitur, intus mente fatebitur: quin & ſe in vita politica, in ſcriptis profanis & ſacris hoſpitem peregrinum profitebitur. Paulus *Rom. 13. v. 5. Obedite, inquit, non ſolùm propter iram, ſed etjam propter conſcientiam.* Cicero pro Cluentio *dicit: Conſcientiam à Dÿs immortalibus accepimus, quæ divelli à nobis non poteſt. Unde* Juvenalis:

Nocte dieq; tuum geſtas in pectore teſtem.

O te miſerum! ſi contemnis hunc teſtem. Sen. 96. *Ep.*

F *13. Con-*

13 Conſcientia (*græcis συνείδησις, germ.* das Gewiſſen *dicta*) eſt actus mentis, quo facienda dictantur, & facta dijudicantur. *quod officium pro diverſitate ſubjectorum diverſum ex Rom. 2. v. 15. colligitur: Teſtimonium reddente (inquit Paulus) illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etjam defendentibus. Intellexit idipſum* Cicero, *cum in orat. pro Milone inquit: Conſcientiæ vis magna eſt in utramq; partem: ut neq; timeant, qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverint.* Ovidius *l. 5. Faſtorum:*

Conſcia mens ut cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto, ſpemq; metumq; ſuo.

14. Conſcientia eſt vel munda ſive bona, vel immunda ſive mala: Munda *eſt, quæ nec de præterito injuſtè accuſatur, nec de præſenti injuſtè delectatur, Iſidor. l. 1. Soliloquiorum. De hac loquitur* Paulus *2. Cor.* 1. *v. 12. Hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Hebr. 13. v. 18. Confidimus, quod bonam conſcientiam habeamus.* Ovidius *l. 4. Faſtorum:*

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Cicero *pro Cluent. Si optimorum conſiliorum atq; factorum teſtis in omni vita nobis conſcientia fuerit: ſine ullo metu ſumma cum honeſtate vivemus.*

15. Immunda *eſt, quæ homines de malè factis accuſat, ſceleris perpetrati convincit, & ad deſperationem ſæpius abducit. de qua legere eſt Eccleſ. 7. v. 23 Scit conſcientia tua, quia & tu ſæpè maledixiſti aliis. Sap. 17. v. 10. Præoccupant peſſima, redarguēte cōſciētiā. Exemplū notabile habemus in Caino Abelem interficiente, Gen. 4. in Achitophel callidè contra Davidem conſulente, 1. Sam. 17. in Juda oſculo Chriſtum tradente, Mat. 27. v. 3. 4. Profanum Gregorius Niſſem. dignum*

notatu

Digitized by Google

notatu narrat de quodam ſicario ab Arianis conducto ad Gregorium Nazianzenum tollendum, qui ad eum ægrotantem irruens, conſcientiâ ſceleris ductus, flens ſeſe ad pedes ejus abjecerit, ac facinoris veniam ab eo conſecutus ſit.

16. *Quæritur hic:* Num bona conſcientia adeò ſit excellens, ut famæ debeat præferri? *cujus ſolutio videtur aliquam præ ſe ferre difficultatem. quia & conſcientiæ & famæ magna eſt dignitas & neceſſitas: Ita enim* Ambroſius Epiſtola ad Conſtantin. *Duo tibi ſunt neceſſaria, conſcientia & fama: Conſcientia propter rem; Fama propter proximum. De conſcientia res eſt plana ex præcedentibus, quod ſit teſtis internus firmiſſimus: quo de* Horatius l. 1. Epiſt. ad Mœcen.

Si rectè facies hic murus aheneus eſto:
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

& 1. Job. 3. v. 21. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Fama bona itidem maximè commendatur: Melius eſt nomen bonum quàm divitiæ multæ Prov. 22. v. 1. quàm unguenta pretioſa Eccleſ. 7. v. 2. Curam igitur habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni: bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanet in ævum: Syr. 41. v. 15. 16. Idem dicere voluit Cato:

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento,
Quâ ſemel amiſſâ poſtea nullus eris.

Unde rectè Plautus in Moſtell. *Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives. Utrumq; igitur excellens & nobile bonum eſt; Si tamen comparatio inſtituatur conſcientiam famæ præferimus: 1. quia conſcientia eſt firma & ſtabilis, ſolis bonis propria; fama verò eſt mutabilis, & ſæpius ab opinione vulgi*

dependet, unde & nonnunquam malis competit: 2. quia conſcientiâ bonâ nobis opus propter Deum, 1. Job 3. v. 21. & Syra. 14. v. 2. Felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam i. e. quem non vexat animus malè ſibi conſcius. Famâ verò propter proximum. Quare ſic vivamus, ut & bonæ famæ ob proximum & bonæ conſcientiæ ob nos ipſos ſtudeamus. Quod ſi verò alterum ſit perdendum, magis conſcientiam quam famam vereri & attendere debemus. Nemo enim plus videtur æſtimare virtutem, nemo magis illi devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conſcientiam perderet, dicente Seneca Epiſt. 22.

17. *Quæ per occaſionem de conſcientia hic poſſent moveri quæſtiones aliæ, reſervabimus nobis ad propriam, eamq; commodiorem, earundem ſedem: obiter ſaltem hunc Canonem inÿcere libet:* In rebus conſcientiam noſtram concernentibus nulla valet coactio: Bey gewiſſens ſachen muß kein Zwang ſeyn. *Uſum illius viſuri cũ Deo in Diſp 7 de Pietate*

18. Alterum ſummi boni proprium adjunctum eſt voluptas honeſta *quæ cum beatitudine eſt conjuncta: quam Ariſt. l. 7. Eth. c. 13.* ἄριστον *i. e. optimum quiddam dici poſſe affirmat: loquitur autem duntaxat de ſummâ cognatione, non de eſſentiali identitate.* Meiſn. *p. 293* Differt: *cum voluptatem ſummum bonum definio,* inquit Caſus *l. 7. c. 13. ſpec. p. 512. neutiquam felicitatem humanam intelligo. Quid aliud? certè nihil aliud quam voluptatis gradum. at quis hic voluptatis gradus? perpetuus ſane pulſus & motus animi conſtantis in bono. Vis igitur voluptatem eſſe ſummum bonum, i. e. inter bonas voluptates animi eſſe, unam in ſummo gradu optimam, quæ perpetuò beatam vitam ſequitur? Rem tenes; ſi ſic teipſum explices nihil abſurdi video.* Adde quod Ariſtoteles *l. 10. c. 3. argumentis, tribus probet. Voluptatem*

non

Digitized by Google

non poſſe ſummum bonum dici ſecus quam opinatus eſt Eudoxus: ſtatuit igitur voluptatem eamq; puram, quæ planè nihil doloris aut moleſtiæ habet admixtum, ſummi boni eſſe adjunctum neceſſariò conſequens & concomitans potius quam ipſum ſummum bonum. Breviter. *Summum bonum & voluptas honeſta differunt ut prius & poſterius: ut antecedens & conſequens, ut cauſa & effectum: Bonum quidem eſt ipſum voluptatis fundamentum, & principium, ut ita per omnia difficulter diſcerni queant; attamen confundi planè & pro iiſdem haberi non debent. Plura hîc de voluptate peragere ſuperſedeo, quia duobus aliis locis Diſp. nim. 6. & 8. anſa de eadẽ copioſius agẽdi dabitur: id quod inde fit:* quia voluptas partim eſt generale objectum omnium virtutum & & vitiorum moralium, *teſte Ariſtotele l. 2. c. 3.* partim etjam eſt objectum proprium Temperantiæ, *teſte eodem l. 7. c. 11.*

19. Atq; hæc de adjunctis proprijs, ſequuntur Communia *(ita dicta, quia non tantùm iis, qui verâ beatitudine ſunt ornati, ſed aliis etjam, qui vel illa carent, vel duntaxat ſpeciem habent, quandoq; conveniunt,* Meiſn. c. 4. Diſſ.*) ut,* proſpera fortuna & honor. Donaldſ. l. *1. c. 4. ſyn.*

20. Proſpera fortuna eſt ornamentum felicitatis per ea bona, quæ extrinſecus viro bono obveniunt. *Per* proſperam fortunam *intelliguntur non illa tantùm, quæ vulgò dicuntur fortunæ bona, ſed quæcunq; à fortuna pendent, & quæ fortuita dicuntur, ut ſunt, ſanitas corporis, pulchritudo: quæ ab aliis vocantur bona primaria ſive interna; vel opes, amici, parentes: quæ vocantur ſecundaria ſive externa. Dicuntur* ornamentum, *quia bona illa omnia non requiruntur ad felicitatis eſſentiam, ſed exiſtentiam: Ornant fœlicitatem, non conſtituunt, & licet deſint, non tollunt, ſed labefactant, Ariſt. l. 1. c. 10. quin & maximè ſplendeſcit fœlix,*

 cum ma-

Digitized by Google

cum maximas ærumnas & tragœdias fortuna perfert. c. 8. De his bonis externis non inconcinnè Chremes ille Terentianus *Act. 1. ſc. 2. Heaut.* *(na?*

Quid reliqui eſt, quin habeat, quæ quidẽ in virtute dicũtur bo-
Parentes, patriam incolumẽ, amicos, genus, cognatos, divitias:
Atq; hæc perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet:
Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur rectè, mala.

21. *Ex his planũ eſt, quid habendum ſit de illa quæſtione:* Num ad ſummũ bonum alia bona neceſſariò requirantur? *Reſp. enim 1. requiri bona prænominata ad ſummi boni adeptionem, non ad conſtitutionem: qui n. virtute præditus eſt & ſecundum virtutem agit, beatus eſt, ſi vel Æſopo deformior, vel Lazaro infirmior, vel Iro ſit pauperior. Rectè enim* Caſus *l. 1. ſp. c. 8. p. 48. Natura error, morbus, & deformitas miſerum non definiunt. Beati n: à ſolà virtute, miſeri à ſolo vitio denominantur. 2. requiri non ad eſſentiã, ſed exiſtentiã, majoremq; uſum & ſplendorem. Non n. poteſt, aut vix poteſt res præclaras gerere, is cui res non ſuppetant: Multa n. efficiuntur quaſi inſtrumẽtis & amicorum opera, & divitijs & potentia civili;* Ariſt *l. 1. c. 8. ſub finem.*

22. *Quæritur ulterius:* An ſummum bonum acceſſione alterius boni poſſit fieri melius? *Reſp. Summum bonum duobus poteſt conſiderari modis: 1. ἁπλῶς & abſolutè, atq; ejuſmodi bonum non poteſt ulla acceſſione melius fieri, quod eſt divinum bonum, ſive Deus ipſe: de quo nobis ſermo in Ethicis non eſt. 2. καθ' ἡμᾶς, ſecundum nos, id eſt, quatenus in hominem cadit, & ab homine poteſt acquiri, atq; illud bonum eatenus dicitur ſummum bonum, quia inter reliqua humana bona excellit. Atq; hoc bonum acceſſione aliorum bonorum poteſt fieri melius, & magis expetendum, non quidẽ quoad naturam ſuam & ſubſtantiam attinet, ſed quatenus augetur numero: ſemper enim plura bona magis ſunt expetenda, quàm pauciora. E. g. Virtus eſt quidem per ſe bonum, & in rebus humanis ſummum, ac per ſe, atq; ſua natura ſemper expetenda; ſed tamen, ſi ad virtutem accedat nobilitas generis, aut doctrina & eruditio, jam redditur magis expetenda propter acceſſionem aliorum bonorum: Ipſa quidem quoad ſuam naturam non redditur melior, ſed tantum quatenus pluribus bonis ornatur, fit excellentior & illuſtrior.*

23. *Quæritur itidem:* An fœlix poſſit reddi miſer? *Pro negativa Achillæum hoc militat* argumentum à contrario: *Miſer eſt expers ingenij, abjectus animi, plenus peccati. Fœlix verò eſt ſapiens, fortis, ſtudioſus virtutis. in quavis fortuna tàm ſecunda, quàm adverſa in viro bono manet*

conſtans

Digitized by Google

conſtans & perpetua voluntas, rectè & ex virtute agendi: ideò etjam comparatur quadrato lapidi, & dicitur vir bonus τετράγωνος i. e. quadratus, quia non facilè ab honeſto ſuo propoſito dimovetur. Vt n. lapis quadratus ſemper habet firmam baſin, in quamcunq; partem cadit: ita vir bonus in quamcunq; incidit fortunam, ſemper habet firmum propoſitum rectè agendi, & non eſt inſtar arundinis, ut à quovis vento, i. e. à quavis fortuna dimoveatur à ſuo propoſito. Pro contrariorum refutatione rectè monet Caſus l. 1. ſp. Mor. c. 10. Miſerum ſumi tribus modis: 1. pro inope & indigente pecunia, & ſic contingit aliquando beatum appellari miſerum. 2. pro homine abjecti animi, & ſic non poteſt eſſe miſer. 3. pro homine mancipato ſceleri, quæ ſignificatio propria eſt miſeriæ, & ſic felix non poteſt eſſe miſer. Deinde diſting. eſt inter fœlicitatem popularem, quæ conſiſtit in bonis externis, & poteſt auferri; & inter beatitudinem ſtrictè ita dictam, quæ ſecus. Denique diſting. eſt inter beatitudinis eſſentiam, ſeu ipſam actionem firmam & conſtantem, quæ non poteſt auferri; & ejus ornamentum, quod poteſt.

24. Sic fuit proſpera fortuna: De honore, quia etjam eſt objectū Magnanimitatis, ne eadem bis cum tædio repetenda, plenariè Diſp. 9. agemus: Duas igitur reſiduas quæſtiones videbimus.

25. I. An in hominis obitu aboleatur ſummum bonum? pro negativa tale adduco argumentum: Ceſſante cauſa ceſſat effectus: Atqui poſt hominis obitum ceſſant cauſæ ſummi boni. Efficiens, materia in qua & circa quam, forma & finis Ergò & ipſum ſummum bonum. Piccol grad. 9. c. 31. diſtinguit inter ſummum bonum Platonis ſive Theologicum, & Ariſtotelis ſive politicum illud nedum non aboleri ſed perfici piè affirmat. hoc aboleri in obitu viri felicis quoad eſſentiam; ſervari ſolùm memoriam, comitantia nonnulla, inſtrumenta & opera externa.

26. 2. An fortunæ poſterorum ſecundæ vel adverſæ pertineant ad defunctos, & quidem ita eos afficiant, ut poſſint eorum ſtatum & conditionem mutare? Poſterius membrum Ariſtoteles l. 1. c. 11 Eth. negat, quoad prius diſtinguit: verùm vanus eſt totus ille diſcurſus, ex quo Pontificiorum errores de purgatorio, animarum apparitionibus originē ſumpſiſſe rectè dixeris: ſcripturam ſimpliciter contrariari ſcimus: Eſa. 63. v. 15. 2. Reg. 22. v. 20. Iobi 14. v. 21. Eſa. 51. v. 11. Apoc. 7. v. 19.

27. Atq; ſic abſolvimus doctrinam de ſummo bono, quo de coronidis loco notetur, quod non incommodè & pars Ethicæ & finis dici poſſit: Conſideratur enim vel reſpectu virtutum, vel reſpectu ſui: illo modo eſt finis virtutis; ſed non omnium, quæ in Ethica tractantur, eſſet enim alioqui ſui ipſius finis; hoc verò modò non incommodè pars dicitur.

Digitized by Google

C O R O L L A R I A.

1. Metaph. 1. *Omne Ens eſt bonum, & omne bonum eſt Ens.* 2. *In actu vitioſo & eſt bonum & malum, quia in illo eſt Entitas quædam, motio nimirum; & privatio, ἀταξία motionis.*

2. Log. 1. *Judicium inventioni non ſatis contradiſtinctum.* 2. *nec Inventionem Judicio priorem eſſe,* Bartholinus *affirmat p. 30. & 31. Enchi. Log. argumentis minus Achillæis.*

3: Rhet. *Copulam* EST *ſuſtinere tropum qui affirmat, in ſundamenta Tropologica impingit, & abſurditates abſurdas introducit.*

4. Gramm. *Bimembris Grammaticæ diviſio, in Etymologiam & Syntaxin, magis Logica eſt, quàm vulgaris quadrimembris.*

5. Polit. 1. *Civitas eſt domo prior & poſterior.* 2. *Civitas ab urbe diſtinguitur, tanquam adjunctum à ſuo ſubjecto.* 3. *Vrbes mœnibus cingendas eſſe ſuadet & commodum & ornamentum.*

Doctiſs. & Ornatiſs. Dn. Reſpondenti.

GODTSCALCUS BJLTHOEDT.

Per Anag.

HOC DET THVS GLISCAT, LVDO.

SEmper odoratum THVS gratum ſpirat odorem
Et thuris mentes halitus exhilarat.
Fallor, odoratum, num THUS pulcerrima virtus,
Virtutisq; animos halitus exhilarat?
Nobile virtutum facilem thus ſpirat odorem,
Suffitu & mentes liberiore fovet.
Hinc benè odoriferum ſequeris, *duce Vulpio* odorem;
Dum THVS virtutis nobilis inſequeris,
Carmine LVDO, Deus DET ut HOC THVS GLISCAT odorum,
Et magè nil unquam gliſcet odoriferum.

Grat.

M. Laurentius Ludenius Poet. C. C.

Digitized by Google

57

Collegij Ethici

DISPUTATIO QVARTA

De

VIRTUTIBUS IN GE-NERE, ET IN SPECIE DE VIRTUTIBUS INTEL-LECTUALIBUS,

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtphali S. S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipit

GODTSCHALCUS COTHMAN *Lemgov. Weſtph*

ad diem 24. Jan. horis & Loco conſtituto.

Plautus.

Virtute ambire oportet, non favitoribus, ſat habet favitorum ſemper qui rectè facit.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M. DC. XVIII.

Digitized by Google

THESIS I.

HActenus primam vidimus Ethicæ partem, quæ εὐδαιμονολογία; ſequitur nunc altera, quæ Ἀρετολογία dicitur, *agens de ipſis virtutibus tanquam medijs ad felicitatem tanquam ultimum finem perducentibus.*

2. Ἀρετή ἐςιν ἕξις ἀφ᾽ ἧς ἀγαθὸς ἄνθρωπος γίνεται, καὶ ἀφ᾽ ἧς εὖ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ἀποδώσει. Virtus eſt habitus, quo & vir bonus efficitur, & officio ſuo ac munere rectè fungitur. *Ariſt. 2. Eth. c. 6. quæ virtutis definitio generalis eſt, tam activæ quàm contemplativæ virtuti accommodata, ita tamen, ut ſecundum prius, ac poſterius illis conveniat.* Donaldſ. l. 2. Syn. c. 1.

3. *Definitum eſt:* ἀρετή, Virtus, Tugend. τῆς Ἀρετῆς *apud græcos varia datur notatio: quidam* τὴν ἀρετὴν *dictam eſſe putant quaſi* αἱρετὴν, ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι *i. e. expetendo, vel* ἐρατὴν *amabilem, à verbo* ἐράομαι *amo, quod virtus debeat expeti & amari,* per Not. ex adjuncto. *Alij derivant* ἀπὸ τοῦ Ἄρεος *à Marte vel bello, quia in bello maximè opus eſt virtute,* per Not. ex ſubjecto. *Alij deducũt à verbo* αἴρω *tollo, quia attollit mentem ad ſumma & ardua, ipſaq; homines quaſi in cælum effert, per* Not. ex effecto. Virtus *latinis dicitur à viro, quia virum maximè decet virtus, per* Not. ex ſubjecto, *eoq; excellentiori: Mulieres enim virtutis non eſſe capaces qui dicit, ſexui muliebri vim & injuriam non levem facit. Ego pro mulieribus tale formo argumentum: Quicquid dicitur de genere, etiam de ſpecie, & conſequenter de individuis dicitur, eam ob rationem, quâ de genere dicitur. Atqui de homine dicitur, quod ſit virtutis capax, propter formam ſuam, rationem nim. quâ bona eligere, mala averſari poteſt. Ergò etjam propter formam, quæ æquè eſt in mulieribus ac in viris, mulieres virtutis ſunt capaces.* Tugend *germanis dicitur à*

Digitized by Google

taugen vel tiegen: *quod Latini vertunt valere, quia virtus multum valet, & eſt tanquam vis, facultas & valor animi.*

4. *Sumitur virtus variè: Ambiguitas igitur tollenda erit, ne pariat errorem: ut autem memoriæ conſulerem, libuit varia ejus ſignificata ſequenti includere tabellæ.*

Virtus *ſumitur vel*

- Independenter *per eſſentiam, & tribuitur creatori, notatq;*
  - 1. Potentiam, *per quam Deus omnia operatur, ut 1. Pet.* 1. *v.* 5. *Phil 3. v. ult.*
  - 2. Potentem operationem *vel medium, per quod efficaciter operatur, ut Rom. 1. v. 16. Pſ. 118. v.* 16.
- Dependenter, *per communicationē, & tribuitur creaturis*
  - 1. generaliter, *notatq;*
    - 1. utilem quandam efficaciam: *ſic auro, gemmis, herbis virtutes tribuimus.*
    - 2. terræ arborumq; fructum, *ut Joel 2. v. 22.*
  - 2. ſpecialiter, *et dicitur de homine, cujus virtus triplex:*
    - 1. ἔμφυτος, connata. *Ariſt. l. 6. Eth. c. ult. notans quandam naturalem propenſionem ad virtutes.*
    - 2. θεόσδοτος, divinitùs infuſa: *quales ſunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, &c.*
    - 3. ἐπίκτητος, acquiſita, *quæ naturâ, doctrinâ & exercitatione comparatur, quæ eſt Ethicæ conſiderationis.*

5. *Circa primam hominis virtutem, quæ connata dicitur,*

du-

tur dubium movetur : An virtutes natura nobis inſint? *oritur dubitatio ex collatione virtutis connatæ & acquiſitæ? Quicquid enim connaſcitur, induſtriâ non acquiritur : videntur igitur ſe invicem duo hæc virtutis genera evertere. Accedit quod* Ariſtoteles *6. Eth. c. 23. quandam virtutem à natura eſſe ; libro 2. verò c.* 1. *Nullam virtutem naturâ nobis innaſci non ſine apparenti contradictione aſſirmet.* Dubia hæc & apparens contradictio ut tollatur, hæc quæſtionis deciſiva probe tenenda : Virtus ſumitur interdum κυρίως principaliter *& propriè denotans ipſum habitum & complementum. atq; ita* nulla virtus nobis innaſcitur*: idq; probatur I.* à genere virtutis: *Quicquid crebro uſu acquiritur, illud naturâ non innaſcitur. Atqui omnis virtus crebro uſu acquiritur. Ergo nulla virtus naturâ innaſcitur. 2.* à proprio naturæ; *Nihil quod innatum eſt à natura, ſecus ac natura fert, aſſueſieri poteſt.* Ariſt. 2. Eth. c.1. *ita ut ſi lapidem millies ſurſum jactes, nunquam tamen aſſueſcat per ſe ſurſum tendere propter naturale pondus & gravitatem, Vnde Horatius:*

Naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.

Sed mores & virtutes poſſunt aſſuefactione mutari, interdum enim meliores fiunt, interdum etjam corrumpuntur & fiunt deteriores. Ergo. 3. à causâ finali legum: *Quæ naturâ nobis inſunt, de ijs acquirendis non eſt neceſſe leges ferre. Sed de acquirendis virtutibus & moribus neceſſe fuit leges ferre, quarum præcipuus finis eſt, probos in virtutis ſtudio continere, malos verò à via deflectentes coërcere. Ergò.*

6. Interdum virtus ſumitur μὴ κυρίως, minus principaliter, *pro diſpoſitione naturali, pro naturali inclinatione & propenſione ad aliquam virtutem, quas* φυσικὰς ἀρετὰς *Ethici vocare conſueverunt principia, ſemina, igniculos &*

 fontes

ſontes virtutum, atq; ita virtutes nobis ſunt naturales, ſiquidē ad virtutem requiruntur tria, 1. propenſio quæ eſt à natura. 2. directio, quæ eſt à doctrina. 3. habitus & confirmatio, quæ eſt ab aſſuefactione: Unde illud Synecdochicum: Natura præbet ſemina, doctrina conſilium, Exercitatio complementum.

7. Dari *autem* notitias quaſdam ingeneratas *negare conatur* Timplerus *l. 3. Met. c. 1. q. 9. fundamentis certè ſtramineis*: *1.* ab authoritate Ariſtotelis: *quia mens hominis ab Ariſtotele confertur cum tabula, in qua actu nihil eſt ſcriptum, omnia tamen ſcribi poſſunt.* Reſp. *1. eſt petitio principij. 2. Non pugnamus authoritatibus ſed rationibus, conferatur theſis 1. diſp. 3. 2. per inſtantiam verbis* Rami ex l. 2. c. 3. Schol. Dial. *Agedum (inquit) interpretes hi mirabili ſyllogiſmo judicium ſuum concludunt: Quicquid Ariſtoteles ſcripſit eſt verum. id ſcripſit. Ergo verum. At propoſitio non modò falſa, ſed impia eſt. Ut enim Ariſtotelis nomen pro maximis in genus hominum beneficijs, ſanctum (ſi interpretes volent) ſacrumq; eſſe debeat, certè usq; ad aras quidem Philoſophiæ, veritatisq;.*

8. 2. à rerum intelligibilium cauſis: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Atqui notitiæ illæ non ſunt in ſenſu, i. e. ſenſu non percipiuntur. Ergò.* Reſp. *Propoſitio agit de notitia habituali acquiſita; quæſtio verò noſtra de naturali connatâ: Argumentum igitur nos non ferit, concedi enim poteſt, ſi intelligatur de luce & complemento, non de igniculo.*

9. *3. Eodem modo ex eodem fundamento concludit. Ergò eâdem ſolutione ſolvitur. Poſitis hiſce tribus argumentis refutationem argumentorum quorūdam, pro notitijs quæ adduci ſolent, aggreditur; ſed nullo cum fructu, vel enim petit princi-*

principium, vel non attingit controverſiæ ſtatum: argumenta igitur illa quidem allatrat, ſed non refutat. Argumenta pro affirmativa legi poſſunt part. *1.* Phil. ſobr. D. Meiſneri ſ. 4. c. 9. q. *1. quæ ego exinde non repeto, nec quicquam illis addo.*

10. Genus virtutis, eſt: Habitus: *quod ex 2. Ethic. c. 5. ſyllogiſmo ab inductione eorum quæ in animo ſunt probatur: Virtus eſt in animo: Ergò vel eſt affectus, vel potentia, vel habitus.* Sed non eſt affectus, *1. quia ex affectu nec boni nec mali dicimur. 2. quia propter affectus nec laudem nec vituperium conſequimur. 3. quia affectus non oritur ab electione, à qua oritur virtus. 4. quia virtus verſatur circa affectus: Nihil autem circa ſeipſum verſatur.* neq; potentia, *1. quia propter potentias itidem non dicimur boni vel mali, nemo enim bonus dicitur vel malus, quia poteſt eſſe bonus vel malus, ſed quia eſt bonus vel malus. 2. quia propter potentias neq; laudari neq; vituperari ſimpliciter poſſumus. 3. quia potentiæ ſive* δυνάμεις *naturaliter nobis inſunt, virtutes minimè, ſupra th. 5.* Concluditur ergò, quod virtus ſit habitus, *quia tria illa, quæ in habitu ſpectantur, actionum nimirum uniformitas, promptitudo & facilitas, delectatio & voluptas, in virtute reperiuntur.*

11. Per habitum igitur intelligitur conſtans animi propoſitum: Habitus enim cum crebris actionibus comparetur, conſtantiam in actionibus procreat. Sed quia & vitiorum habitus eſſe poſſunt, Differentiæ ſpecificæ *loco additur: Habitum virtutis eſſe viri boni, cujus & actiones & animum perficit.*

12. Virtus eſt duplex: Intellectualis & moralis. *Ariſt. l. 1. Nicom. c. 13. & lib. 2. c. 1. Dividit ita virtutem ratione ſubjecti, quod eſt animus hominis, in quo virtus reſidet:*

Quemad-

Digitized by Google

Quemadmodum enim duæ ſunt præcipuæ partes ſive potentiæ animi humani: Una, rationalis: altera, irrationalis. Ita quoq; duplices ſunt virtutes: quædam enim perficiunt animum rationalem, & nominantur διανοητικαὶ, *i. e. intellectuales; quædam verò perficiunt animum irrationalem, & vocantur* ἠθικαὶ, *i. e. morales: Quia autem ad generalem virtutis diſtributionem, & ad ſpecialem virtutum ſubdiviſionem probè intelligendam Animæ hominis diviſio maximoperè neceſſaria eſt, operæ precium me facturum arbitror, ſi obiter, & ſemel pro ſemper, potentiarum animæ delineationem quandam generalem hoc in loco exhibeam, & quæ ſingulis potentiis virtutes aſſignentur oſtendam.*

13. Anima *licet in ſe ſit una, & in partes propriè dividi non poſſit; ex variis tamen operationibus, quæ à diverſis facultatibus ſeu potentiis animæ proficiſcuntur* dividitur in λογικὴν Rationalem & ἄλογον Irrationalem: Rationalis *dicitur ea animi pars, in qua ratio ſedem habet: ad quam referuntur virtutes intellectuales. Animæ rationalis duæ ſunt potentiæ: Altera vocatur* ἐπιστημονικὴ, *i.e. facultas, qua res æternas & neceſſarias intelligimus & contemplamur: Unde etiam nominatur* θεωρητικὴ, *contemplatio, intellectus ſpeculativus: quia in contemplatione ſolùm acquieſcit. Ad hanc referuntur virtutes tres: 1.* ἡ ἐπιστήμη, *ſcientia. 2.* ἡ σοφία, *ſapientia. 3.* ὁ νοῦς, *intellectus. Altera nominatur* λογιστικὴ *ſive* βουλευτικὴ *facultas, qua ratiocinamur, conſultamus & deliberamus de rebus agendis & contingentibus: Unde etiam nominatur* πρακτικὴ, *intellectus activus, quia operationes ejus verſantur circa* τὰ πρακτὰ, *i. e. ea quæ ſunt agenda. Ad hanc pertinent virtutes duæ: 1.* φρόνησις, *prudentia. 2.* ἕξις *Ars. Atq; hæc eſt ſubdiviſio animæ rationalis.*

14. Irrationalis *dicitur, quæ per ſe rationis eſt expers:*

illaq;

illaq; rurſum eſt duplex: vel enim omnino eſt expers rationis, neq; etiam poteſt ratione regi & gubernari, & dicitur vegetativa, cujus ſunt tres diſtincta facultates, nutritiva, augmentativa, generativa: atq; hujus partis nulla eſt propriè virtus; vel aliquo modo rationis ſit particeps, quatenus poteſt ratione regi, & appetitiva dicitur, qua res vel mente vel ſenſu perceptas aut proſequimur aut averſamur. Atq; in hac animi parte virtutes morales locum habent. Sed de his plura Diſp. ſeq.

15. *Circa diſtributionem virtutis quaritur.* 1. An ſit commoda & ſufficiens? *Negant* Conimbricenſes *Diſp. Ethic. 7. q. 6. Artic. 2. Neceſſariò, inquiunt, prater virtutes morales acquiſitas, qua cum naturali fine regulaq; humana proportionem habent, danda erunt alia virtutes infuſa ab ijs ſpecie diſtincta, qua ſupernaturali beatitudini & divina regula aptè congruenterq; reſpondeant.* Reſpondeo *diſtinguendo inter virtutes infuſas & acquiſitas. Infuſa non ſunt Ethica conſiderationis, ſed conſideranda relinquuntur Theologis; Virtutes autem acquiſita, qua noſtris actionibus comparantur Ethica ſunt propria: Et has rectè in intellectuales & morales dividi unico hoc probo argumento: Quot ſunt facultates in homine, qua corrigi & ad perfectionem reduci debent, tot ſunt virtutes. Atqui dua ſunt facultates hujusmodi, intellectus nimirum, cui medentur virtutes intellectuales: & voluntas cui virtutes morales medentur. E.*

16. 2. Quomodo virtutes intellectuales à moralibus differant? Reſp. Differunt. 1. ſubjecto: *Virtutes enim intellectuales ſunt in animâ rationali & eam perficiunt; morales ſunt in anima irrationali.* 2. fine & objecto. *virtutes intellectuales conſiſtunt in contemplatione & cognitione veri; morales autem conſiſtunt in actione boni. Unde*

illæ ſpectant beatitudinem contemplativam; hæ practicam. 3. adjuncto acquiſitionis modo: *Virtutes intellectuales aliqua ex parte etiam poſſunt comparari doctrina & inſtitutione; morales vero præcipuè uſu & exercitatione.*

17. *3.* An virtutes intellectuales ſint Ethicæ conſiderationis? *Affirmatur 1.* propter finem. *Quicquid requiritur ad cognitionem & acquiſitionem ſummi boni, de illo non injuria præcepta in Ethicis proponuntur. Sed non tantum virtutes morales, ſed & intellectuales requiruntur ad ſummi boni acquiſitionem.* Piccol. *gradu 5. c. 4.* Donaldſ. *l. 3. c. 13. ſub initium. Ergò. 2.* propter virtutes morales. *Sine quo virtutes morales cognoſci non poſſunt, de eo in morali doctrina eſt agendum. Sed ſine cognitione habituum ſeu virtutum intellectus morales virtutes cognoſci non poſſunt. Ergo. Aſſumptio probatur, quia omnis vis virtutum moralium conſiſtit in mediocritate definita recta ratione, quam oſtendit vir prudens: Prudentia autem eſt una ex virtutibus intellectus: proinde ejus quoq; cognitio neceſſaria eſt ad doctrinam de virtutibus moralibus intelligendum.* Ariſt. l. *6. Nic. c. 1. Superaddo 3.* propter connexionem generis cum ſpecie: *ubicunq; agitur de genere, ibidem etiam agendum de ſpeciebus, ſi nim. tendunt ad eundem ejusdem diſciplinæ finem. Atqui in Ethica agitur de genere, nimirum de virtutibus. Ergo etiam de ſpeciebus, quæ ſunt virtutes intellectuales & morales in eadem agendum.* ſi quæſieris, quo reſpectu de illis in Ethicis agatur? Reſpondebit cl. Meiſnerus *Diſt. inter præcepta & præceptorum commentarium: Agi de illis in Ethica, non per modum præcepti ſed commentarij. 2. inter tractationem directam ſive per ſe, & obliquã ſive propter aliud: Tractatio de illis in Ethicis non directè, quaſi per ſe ad Ethicam pertinerent; ſed obliquè & propter aliud, qua*

Digitized by Google

liud, quatenus conducit ad cognitionem virtutum moralium. Ità enim reſpondet de modo tractandi bonum Theoreticum in Ethica. Diſſert. de S. B. c. 1. q. 3. p. 80. A Meiſnero non diverſus abit Donaldſonus *loco prænominato: Hoc interim fatemur, inquit, plenariam harum (virtutum intellectualium) cognitionem hîc non eſſe exſpectandam, ſed quanta faciat ad felicitatis adeptionem & mediocritatis directionem. Reliqua partim à Metaphyſico, partim à Phyſico ſunt petenda.* Si quærere perrexeris, quomodo ad diſtinctas diſciplinas & ad quas pertineant? Reſpondet Piccolomineus *gr. 5. c. 4. Dicendum cenſeo, habitus omnes pertinere ad logicum, conſiderando ſaltem modum & inſtrumenta, quibus acquiritur: propriè tamen ad eum pertinere ſcientiam & opinionem, quia omnis argumentatio vel ſcientiam firmam & conſtantem, vel opinionem parit. Inſuper omnes pertinere ad phyſicum: quoniam ad eum pertinet loqui de anima, de ejus facultatibus & operibus, ex quibus vel in quibus prodeunt, vel recipiuntur habitus. Pariter civilis Philoſophus tenetur omnes habitus cognoſcere: cum enim ejus officium ſit humanas actiones componere, hominemq; ad ſummum bonum dirigere, quia ad ſummum bonum conſpirant omnes habitus mentis; propterea omnes tenetur cognoſcere. Demum id efficere debet, ut valeat utrumq; ſummi boni gradum cognoſcere, & inter ſe comparare: quorum unus in actione, alter in contemplatione eſt poſitus.*

18. 4. An virtutes intellectuales moralibus rectè præponantur? *Affirmatur. 1. Theoria præcedit praxin, contemplatio actionem. In virtutibus intellectualibus eſt theoria, contemplatio; in moralibus praxis & actio. Ergò. 2. Virtus directrix jure præcedit virtutem dirigendam ſive directam. Prudentia omnium virtutum moralium eſt rectrix, ſine qua munere ſuo neutiquam rectè defungi poſſunt.*

Ariſt. *paſſim lib. 6. Nicom. 3. Virtutes intellectuales ſubjectum habent dignius, & quod primò operatur, animam nim: rationalem; Virtus verò moralis ſubjectum habet ignobilius, animam nimirum irrationalem, appetitum, qui primò ab intellectu informandus. Hiſce motus rationibus ordinem vulgo receptum volui immutare, & primum locum virtutibus intellectualibus aſſignare.*

19. Virtus intellectualis, eſt habitus animi rationalis, qua mens noſtra affirmando vel negando verum enunciat. *Donald. l. 3. Synopſ. c. 13. p. 260.*

20. Græce dicitur διανοητική, ἀπὸ τῆς διανοίας. διάνοια *propriè ſignificat diſcurſū, atq; ſic alteri tātùm animi rationalis parti,* λογιστικῇ *ſc. reſpondet; hoc loco ſumitur latius, ut generaliter ſignificet cognitionem, quatenus* ὁ νοῦς, *i.e. mens deſcendit, quæ vox totam animæ rationalis partem denotat.* Genus, *eſt, habitus quod cum morali commune habet.* Differentia *ſubjectum & finem complectitur.* Subjectum, *eſt ea animi pars, quæ rationalis appellatur. confer th. 14.* Finis ut & objectum, *eſt: Veritas: quàm mens duobus modis inveſtigat,* 1. *contemplando. quod munus eſt partis* ἐπιστημονικῆς, *atq; talis veritas contemplativa inde nominatur. 2. transferendo ad actionem & uſum, quod eſt* λογιστικῆς, *&* πρακτικὴ *dicitur. Sed de veritate plura Diſp. 11.*

21. Virtus Intellectualis eſt, vel ſpeculativa vel practica. *Dividitur ita. 1. ratione ſubjecti, videatur th. 13. 2. ratione objecti: Verſatur enim intellectus vel circa neceſſaria vel circa contingentia.* Speculativa eſt, quæ res neceſſarias cognitionis gratia inveſtigat. *Objectum igitur ejus eſt materia neceſſaria, immutabilis & univerſalis: Neceſſaria autem ſunt triplicia: Vel enim ſunt ipſa principia, & eorum habitus, quo cognoſcuntur, dicitur* Intelligentia;

Vel ſunt

Vel ſunt concluſiones quæ ex principijs deducunur, harum notitia dicitur ſcientia: vel ſunt concluſiones ſimulcum principijs conjunctæ, quarum notitia nominatur ſapientia.

22. Virtus igitur ſpeculativa non incommodè poteſt dividi in ſimplicem & compoſitam. Simplex eſt, quæ ex ſimplici habitu res cognoſcit, ut: Intelligentia & Scientia. Intelligentia eſt habitus mentis ſimplex, quo principia ſcientiarum & demonſtrationum cognoſcimus. Objectum intelligentiæ ſunt principia & axiomata artium & ſcientiarum: Principiorum illorum notitia licet ſit naturalis, initio tamen adhuc eſt obſcura & tenuis, ac opus habet aliqua non quidem demonſtratione à priori per cauſas, ſed declaratione & illuſtratione, ut reddatur certior & evidentior, idq; vel per inductionem, vel per ſenſum, vel per experientiam: Atq; hac ratione illorum notitia aliquo modo poteſt habitus appellari, quatenus uſu, experientia & multis exemplis alijs magis eſt confirmata.

23. Scientia eſt habitus mentis demonſtrativus, quo percipimus concluſiones neceſſarias per cauſas veras, primas, immediatas, notiores & priores ipſis concluſionibus. Objectum ſcientiæ eſt τὸ ἐπιστητὸν, ſcibile, quod eſt rerum tantùm neceſſariarum, æternarum, & quæ aliter ſe habere non poſſunt, comparaturq; demonſtratione. Demonſtrationis τοῦ διότι à priori tria ſunt principia materialia: 1. affectio propria ſive accidens proprium quod demonſtratur. 2. ſubjectum de quo affectio illa demonſtratur. 3. cauſa per quam affectio demonſtratur de ſubjecto. Per ſubjectum intelligitur minor, per affectionem major terminus, cujus conditiones ſunt. 1. ut inſit ſubjecto. 2. ut poſſit per principium de ſubjecto demonſtrari. e. g. Riſibilitas ineſt homini ut ſubjecto, & poteſt per principium nim: per rationalitatem demonſtrari: per principium igitur ſive cauſam intelligitur medius terminus.

24. Se-

24. *Sequitur virtus ſpeculativa ex duabus ſimplicibus præcedentibus compoſita, quæ ſapientia nominatur.* Sapientia *eſt intelligentia & ſcientia rerum honoratiſſimarum & præſtantiſſimarum. Ariſt. l. 6. c. 7. Vocabulum ſapientiæ bifariam accipitur, vel* κατὰ μέρ☉, *i. e. particulariter, notatq; certæ alicujus artis perfectionem; vel* καθ᾽ ὅλȣ, *i. e. univerſaliter, & ſignificat omnium ſcientiarum & diſciplinarum perfectam cognitionem. Sapientia dicitur compoſita ex intelligentia, quatenus cognoſcit principia & cauſas rerum; deinde ex ſcientia, quatenus etjam cognoſcit concluſiones, quæ ex principÿs & cauſis rationem per demonſtrationem efficiunt: Eſt enim ut Ariſt. d. l. ait, ſapientis officium non ſolùm intelligere ea, quæ ex principÿs concluduntur, ſed etjam ipſorum principiorum veritatem tenere: Unde & illam dicit eſſe* κεφαλὴν τῶν ἐπιστημῶν *caput ſcientiarum, quoniam ſubminiſtrat ſcientÿs ſua principia, oſtendit modum, quo pacto ex principÿs ſit demonſtrandum. Ex quibus colligitur, objectum ſapientiæ eſſe principia & cauſas rerum; atq; concluſiones inde allatas. Sapientis nomen* Plato *in gratiam Pythagoræ non homini ſed ſoli DEO convenire autumat: cui ſufficienter Reſpondet* Keckermannus *p. 5. Præcogn. Cum ſolus Deus ſapiens dicitur, intelligitur ſapientia eſſentialis, cauſalis ſive originalis, & deniq; gradibus & partibus omnibus perfecta: homines verò ſapientiam habent Accidentalem, ſecundam, ſive ortam à prima illa, & deniq; talem, quæ humano quodam gradu & ſuis partibus ſit perfecta, ita ut vera etiam ſapientia dici poſſit, licet non ſit tanta, quanta Dei.*

25. *Sequitur* virtus intellectualis practica, quæ res contingentes propter uſum aliquem practicum inquirit. *Objectum ſunt contingentia. Contingentia autem alia ſunt extra hominem poſita, quæ tantum à fortuna & caſu pendent, quorum etiam nullus eſt in homine habitus, quia ſunt*

incerta

Digitized by Google

incerta, & propterea eorum notitia etiam levis eſt & incerta, & nominatur δόξα *opinio, &* ὑπόληψις *ſuſpicio. Alia verò poſſunt ab hominibus fieri, & illa ſunt rurſus duplicia: Vel enim ſunt* ποιητικὰ *i. e. conſiſtunt in effectione alicujus operis, quorum cognitio dicitur* τέχνη, ars: *vel ſunt* πρακτικὰ, *i.e. conſiſtunt in ſola actione, quorum cognitio dicitur* φρόνησις, prudentia: *Hic notetur, quod vox* πράξεως *ſumatur vel generaliter, adeò ut & actioni & effectioni conveniat; vel ſpecialiter, ut effectionem excludat.*

26. Virtus igitur intellectualis practica eſt, Ars & Prudentia. Ars eſt habitus cum verá ratione effectivus. *Definitum, Ars, ſumitur dupliciter:* generaliter 1 *pro quavis mentis artificioſa cogitatione ſive operatione. 2. pro præceptorum liberalium Methodicè juxta notas Apodicticas informatorum comprehenſione: in qua ſignificatione accipit Lucianus.* Specialiter *hoc in loco ab Ariſtotele.* Convenit Ars cum Prudentia *1. ſubjecto in quo, quod eſt animæ rationalis pars altera* λογιστικὴ *dicta. 2. objecto quod ſunt contingentia, quæ aliter ſe habere poſſunt.* Differt Ars à Prudentia *operatione & fine: Artis proprium eſt* ποιεῖν, *Prudentiæ* πράττειν. *Eſt autem* ποίησις *effectio, talis operatio, quæ corporeis & externis inſtrumentis editur, & opus corporeum extra operantis mentem exiſtens producit;* πρᾶξις *Actio eſt operatio humana libertatis, quæ verſatur in attinentibus ad hominum mores ex ratione & electione prodiens, nullumq́ opus externum poſt ſe relinquens.*

27. *Circa Artem quæritur:* An ars præſtet naturæ? *Reſp. Ars & natura conſiderantur dupliciter. 1. in ſe & per ſe atq; ſic omnino natura eſt præſtantior arte. 2. ut ſunt in concurſu ad invicem, atq; ſic dicitur quod ars ſit dux certior quàm natura, ſed referendum hoc ſemper eſt ad conjunctionem naturæ.*

28. Prudentia eſt habitus cum recta ratione activus circa ea, quæ homini vel bona ſunt vel mala. *Prudentia dicitur quaſi providentia: tũ quia per hanc virtutem quiſq; providet, quid fugiendum quid eligendũ ſit, & quid ſit accommodatum circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, tum quia præcipuus hujus virtutis effectus eſt in providendis futuris. Vnde Demoſth. Vir prudens debet præteritorũ meminiſſe, præſentia agere & futura cavere.* Prudentiæ comites, & varias ejus ſpecies vide nervosè apud Donaldſ. l. 3 c. 13. *Synopſ. Pagellarum anguſtia me prolixiorem non ſinit: Quæſtionem igitur unam vel alteram videbimus ſub initium Diſputat. ſequentis.*

24. *Sequitur virtus ſpeculativa ex duabus ſimplicibus præcedentibus compoſita, quæ ſapientia nominatur.* Sapientia *eſt intelligentia & ſcientia rerum bonoratiſſimarum & præſtantiſſimarum. Ariſt. l 6. c. 7. Vocabulum ſapientiæ bifariam accipitur, vel κατὰ μέρος, i. e. particulariter, notatq; certæ alicujus artis perfectionem; vel καθ' ὅλου, i. e. univerſaliter, & ſignificat omnium ſcientiarum & diſciplinarum perfectam cognitionem. Sapientia dicitur compoſita ex intelligentia, quatenus cognoſcit principia & cauſas rerum; deinde ex ſcientia, quatenus etjam cognoſcit concluſiones, quæ ex principijs & cauſis rationem per demonſtrationem efficiunt: Eſt enim ut Ariſt. d. l. ait, ſapientis officium non ſolùm intelligere ea, quæ ex principijs concluduntur, ſed etjam ipſorum principiorum veritatem tenere: Unde & illam dicit eſſe κεφαλὴν τῶν ἐπιστήμων caput ſcientiarum, quoniam ſubminiſtrat ſcientijs ſua principia, oſtendit modum, quo pacto ex principijs ſit demonſtrandum. Ex quibus colligitur, objectum ſapientiæ eſſe principia & cauſas rerum; atq; concluſiones inde allatas. Sapientis nomen* Plato *in gratiam Pythagoræ non homini ſed ſoli DEO convenire autumat: cui ſufficienter Reſpondet* Keckermannus *p. 5. Præcogn. Cum ſolus Deus ſapiens dicitur, intelligitur ſapientia eſſentialis, cauſalis ſive originalis, & deniq; gradibus & partibus omnibus perfecta: homines verò ſapientiam habent Accidentalem, ſecundam, ſive ortam à prima illa, & deniq; talem, quæ humano quodam gradu & ſuis partibus ſit perfecta, ita ut vera etiam ſapientia dici poſſit, licet non ſit tanta, quanta Dei.*

25. *Sequitur* virtus intellectualis practica, quæ res contingentes propter uſum aliquem practicum inquirit. *Objectum ſunt contingentia. Contingentia autem alia ſunt extra hominem poſita, quæ tantum à fortuna & caſu pendent, quorum etiam nullus eſt in homine habitus, quia ſunt incerta*

incerta, & propterea eorum notitia etiam levis eſt & incerta, & nominatur δόξα *opinio, &* ὑπόληψις *ſuſpicio. Alia verò poſſunt ab hominibus f.eri, & illa ſunt rurſus duplicia: Vel enim ſunt* ποιητικὰ *i. e. conſiſtunt in effectione alicujus operis, quorum cognitio dicitur* τέχνη, ars: *vel ſunt* πρακτικὰ, *i. e. conſiſtunt in ſola actione, quorum cognitio dicitur* φρόνησις, prudentia: *Hic notetur, quod vox* πράξεως *ſumatur vel generaliter, adeò ut & actioni & effectioni conveniat; vel ſpecialiter, ut effectionem excludat.*

26. Virtus igitur intellectualis practica eſt, Ars & Prudentia. Ars eſt habitus cum verá ratione effectivus. *Definitum, Ars, ſumitur dupliciter:* generaliter 1. *pro quavis mentis artificioſa cogitatione ſive operatione. 2. pro præceptorum liberalium Methodicè juxta notas Apodicticas informatorum comprehenſione: in qua ſignificatione accipit Lucianus.* Specialiter *hoc in loco ab Ariſtotele.* Convenit Ars cum Prudentia 1. *ſubjecto in quo, quod eſt animæ rationalis pars altera* λογιστικὴ *dicta 2. objecto quòd ſunt contingentia, quæ aliter ſe habere poſſunt.* Differt Ars à Prudentia *operatione & fine: Artis proprium eſt* ποιεῖν, *Prudentiæ* πράττειν. *Eſt autem* ποίησις *effectio, talis operatio, quæ corporeis & externis inſtrumentis editur, & opus corporeum extra operantis mentem exiſtens producit;* πρᾶξις *Actio eſt operatio humana libertatis, quæ verſatur in attinentibus ad hominum mores ex ratione & electione prodiens, nullumq; opus externum poſt ſe relinquens.*

27. Circa Artem quæritur: An ars præſtet naturæ? *Reſp. Ars & natura conſiderantur dupliciter. 1. in ſe & per ſe atq; ſic omnino natura eſt præſtantior arte. 2. ut ſunt in concurſu ad invicem, atq; ſic dicitur quod ars ſit dux certior quàm natura, ſed referendum hoc ſemper eſt ad conjunctionem naturæ.*

28. Prudentia eſt habitus cum recta ratione activus circa ea, quæ homini vel bona ſunt vel mala. *Prudentia dicitur quaſi providentia: tū quia per hanc virtutem quisq; providet, quid fugiendum quid eligendū ſit, & quid ſit accommodatum circumſtantijs loci, temporis, perſonarum, tum quia præcipuus hujus virtutis effectus eſt in providendis futuris. Vnde Demoſth. Vir prudens debet præteritorū meminiſſe, præſentia agere & futura cavere.* Prudentiæ comites, & varias ejus ſpecies vide nervoſè apud Donald. l. 3 c. 13. *Synopſ. Pagellarum anguſtia me prolixiorem non ſinit: Quæſtionem igitur unam vel alteram videbimus ſub initium Diſputat. ſequentis.*

Digitized by Google

COROLLARIA.

1. *Logicum*: Definitionem Artis Luciani Bartholinus quidem allatrat, ſed non refutat in Ench. Log. p. 8.

2. *Rhetoricum*: Fundamentum Tropologiæ ſolidum qui quæſierit, in Inventione Logica Ramea invenire poterit.

ORNATISSIMO AC DOCTISSIMO REſpondenti gratulantur populares & amici.

Eſt decus à claro traducere ſtemmate famam;
Quam Virtus cunctis vendicat ipſa ſuis.
Eſt decus in factis Virtus ſpectata parentum:
Quos animat, flagrent talia facta ſequi:
Nam quid facta patris ſolum; Godſchalce, juvabunt,
Propria ni virtus te celebrare docet.
Quare virtutum flores decerpere pergas,
Et cœpto auxilium det Deus ipſe ſuum.

ANTHONIVS WIPPERMAN Lemg. Weſtph.

Optima vivendi ratio eſt cum ſola cupido
Diſcendi, ſanctæ tum quoq; legis amor.
Cujus Pomponius clarus ſectator & ingens
Exiſtit, magnus ſic Solon ipſe fuit.
Gnaviter hos etenim viros imitare ſtudendo,
Nomine perpetuò clarus ut eſſe queas.
Nec te pœniteat magnos toleraſſe labores,
Dant etenim laudes, dant decus omne tibi.
Pergas ſic ſemper, Godſchalce, vireſcere mundo,
Tum decus es patriæ, tum decor ipſe patris.
Gratulor, hoc ſupereſt, cœptis jam pectore toto,
Det DEus ingenij munera larga tibi.

BERNHARDUS HELDT Lemg. Weſtph.

GODSCALCVS COTMANNVS LEMGOVIENSIS.

ἀνάγραμμα.

COGNOSCIS GNOMEN LAVDIS, LACTE SVMVS.

Artis LACTE SUMUS ſumpturi pocula dulci,
COGNOSCIS GNOMEN, LAUDIS & omen habes.

Hermannus Mejerus Blombergâ Weſtphalus.

Digitized by Google

b5

Collegij Ethici

DISPUTATIO QVINTA

De

VIRTUTIBUS MORALIBUS IN GENERE,

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtphali S. S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipit

CHRISTIANUS BURGSTHETUS *Mindâ-Weſtph.*

ad diem 11. *Martij. horis & Loco conſtituto.*

Piccol. gr. 4. c. 53.

Virtus eſt parens nobilitatis, propterea qui virtutem non diligunt, vel parentem ſpernunt, vel ſe non verè nobiles oſtendunt.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M.DC.XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I.

QVas ex præcedenti Diſputatione nobis reſervavimus de Prudentiâ quæſtiones hic breviter attingemus, quia promiſimus: Quæritur igitur circa Prudentiam 1. An Prudentia rectè virtutibus intellectualibus annumeretur? Reſp. Magnam eſſe Prudentiæ cum virtutibus moralibus conjunctionem res ipſa loquitur, nec diffitentur Ethici: Piccol. gr. 5. c. 50. p. 476. Prudentia, inquit, ſemper cum virtute morali juncta eſt. Idem affirmat Magirus l. 6. c. 5. comm. in Eth. Ariſt. Caſus l. 6. c. 5. ſpec. Ex numero tamen virtutum intellectualium non eſt, quod quidem ego ſciam, qui eximat, niſi Keckermannus, qui l. 1. Syſt. Eth. p. 148. virtutibus moralibus annumerat, neq; hoc ſimpliciter, ſed mixtam quandam virtutem eſſe aſſeverat ex intellectuali & morali: Eſſe quidem intellectualem ratione ſubjecti & cauſæ efficientis, quia pendet ab hominis ingenio & judicio; eſſe autem moralem ratione objecti & finis, quia per ſe non perficit intellectum, ſed appetitum, & non tàm tendit ad felicitatem contemplativam, quàm practicam ſive bonum morale & civile. Nos cum aliis non ignobilibus etiam Ethicis Prudentiam virtutibus intellectualibus annumeramus, propter ſubjectum & finem: quia eſt in intellectu & eundem perficit primariò & immediatè, licet etiam perficiat appetitum ſecundariò mediatè mediante intellectu. Perficit, inquam, appetitum dirigendo, non actum eliciendo: nam præſcribit quid faciendum ſit ſecundum omnes circumſtantias in omni virtute morum. quia tamen non exigua hîc latet difficultas, obſervandum cenſemus quod Prudentia, quamvis non ſit virtus moralis, cum non pertineat ad apppetitum ſenſuum, neq; ſit moderatio alicujus perturbationis, maximè juncta ſit cum virtute morali: Eſt enim dux earum, & ultimum ejus nectitur cum principio moralium

virtutum; ultimum enim Prudentiæ eſt decretum & ſententia quæ præeligenda eſt; præelectio autem eſt proximum & principale principium actionum ex morali virtute prodeuntium.

2. *Ex dictis non obſcurè colligitur deciſio hujus quæſtionis.* 2. An omnis virtus moralis poſſit dici Prudentia? *eaq; talis, quod omnis virtus moralis poſſit dici Prudentia non ratione generis, nec formaliter & eſſentialiter: quia virtutes morales & prudentia ad diſtinctas animæ partes pertinent; ſed* 1. *ratione dependentiæ ac acquiſitionis, quia prudentia neceſſaria eſt ad acquiſitionem virtutis moralis.* 2. *ratione directionis: quia omnis virtus moralis dirigitur à Prudentia.* 3. *ratione connexionis, conſenſionis & conſpirationis, quia nulla virtus moralis poteſt eſſe ſeparata à prudentia. Confer* Ariſtotelem *l. 6. Eth. Nicom. c. 5. & 13.* Piccol. *gr. 4. c. 18. & 22.*

3. 3. An omnes homines indifferenter poſſint dici prudentes? *Reſp.* Malos *homines, qui quidem ingenij acumine in excogitandis rebus malis valent, prudentes dici poſſe imprudens affirmaverit; Prudens callidos potius & aſtutos ſive verſutos eos nominabit, unde* Cicero *in offic. Prudentia, inquit, cum injuſtitia conjuncta, calliditas potius, quàm prudentia eſt nominanda.* Pueros *etiam &* Juvenes *non poſſe dici prudentes diſputat* Ariſtoteles *6. Eth Nicom. c. 8. ſuæ negationis hanc adducēs cauſam, quod ſingularium rerum eſt prudentia, quæ experientia innoteſcunt: juvenis autem expertus non eſt, experientiam enim temporis efficiet multitudo.* Piccolomineus *gr. 5. c. 34. p. 465. Prudentiam facit duplicem, aliam ſpe & ſemine, aliam habitu & forma. Spe & ſemine dici prudentes, ait, dum per naturam indicant ſe ad prudentiam faciles, ſpemq; præbent futuræ prudentiæ. Non inconve-*

Digitized by Google

convenienter etiam diſtinguere poſſumus 1. inter Juvenes ætate & animis vel moribus. 2. inter modum acquirendi prudentiam: acquiritur enim vel ex uſu vitæ & experientia, vel ex præceptorum ſedula informatione: Juvenis affectibus non indulgens poteſt dici prudens ratione prudentiæ ex informatione hauſtæ, ſed non ratione prudentiæ ex uſu acquiſitæ. 3. inter affectionem ſimilium & parium: Juvenes poſſunt eſſe prudentes, ſed ſeniores (niſi nimio ſenio repueraſcant) jure ſunt prudentiores: id quod ex tribus requiſitis ad exactam prudentiæ abſolutionem neceſſariys conſtat: primò enim tanquam principia, requiruntur facultates animæ per naturam congruenter affectæ: ſecundò tanquam media, cognitio veri, diſciplinæ à quibus principia recipiat, variæq; præceptiones virorum prudentum, à quibus homo evaſurus prudens dirigatur. tertiò tanquam finis, qui habitum firmet & abſolvat, requiritur accuratus uſus eorum, quæ ſub actionem cadunt. Adoleſcentibus igitur hoc coronidis loco damus conſilium ex. 6. Nic. c. 11. ut peritorum hominum & ſeniorum ſeu prudentum dictis & ſententÿs absq; demonſtratione, non minus quàm demonſtrationibus adhæreant, quoniam ſeniores longo uſu & experientia ſibi compararunt oculum prudentiæ, quo poſſunt rerum cernere cauſas, quas alÿ juniores nondum poſſunt cernere aut intelligere: Habent enim memoriam præteritorum, providentiam futurorum & intelligentiam præſentium, in quibus tribus oculi prudentium conſiſtunt.

4. 4. An prudentiæ ſit oblivio? Negat Ariſtot. l. 6. c. 5. ſub finem: Ratio datur 1. Virtus moralis, quando ſemel radices egit in animo hominis, nunquam planè eum deſerit. Prudentia autem conjuncta eſt cum virtute morali. 2. Prudentia non eſt recta ratio tantùm, ſed ultra rationem rectam expoſcit habitum virtutum moralium, & habitum

 proprium

proprium, non ſola ratione, ſed præſertim longo uſu & aſſuetudine comparatum: Eorum autem, quæ more, aſſuetudine & uſu producuntur, non eſt oblivio. Ergò nec prudentia. Caſus *l. 6. c. 5. ſpec. Mor. ſententiam Ariſtotelis comparatè accipit, quod propter firmitatem habitus rarò & difficulter prudentia deleatur: quæ explicatio varios eximere poteſt ſcrupulos.*

5. Atque ſic vidimus, quâ potuit fieri brevitate, virtutes intellectuales: ſequuntur Morales, *animum irrationalem, appetitum nim. perficientes: Quia autem appetitus duplex eſt: ſenſitivus & intellectivus voluntas dictus, quæritur:* Utrum ſubjectum inhæſionis virtutum moralium ſit appetitus ſenſuum, an verò voluntas? *cujus quæſtionis deciſio aliquam difficultatem præ ſe ferre videtur.* Piccolomineus *ſimpliciter pro ſenſitivo:* Scotus, *pro voluntate dimicat, uterq; quidem argumentis haud infirmis, quæ magno numero legi poſſunt. apud Picc. gr. 4. c. 7. ſeqq.* Donaldſonus *tamen omnium optimè meo judicio mediâ eâq; regiâ incedit viâ l. 2. c. 2. p. 57. ſynopſ. In voluntate, inquit, virtutes morales propriè ſedem habent, non quod appetitus ſenſitivus à virtute penitus excludatur: in eo enim eſt concupiſcentia & ira; ſed quia virtutes non niſi initium in appetitu ſenſitivo capiunt, incrementum autem & perfectionem in appetitu intellectivo ſeu voluntate. Statuit igitur,* Voluntatem eſſe virtutum moralium ſubjectum, non excluſivè ſed incluſivè, ut includatur appetitus: *ſive:* Appetitum (*quatenus nimirum rationi obtemperat, ita enim rationis fit particeps. Ariſt. 1. Nic. c. ult.*) eſſe ſubjectum remotum & mediatum; voluntatem proximum & immediatum. *Quam ſententiam tribus conabor ſtabilire fundamentis:* 1. à genere virtutis moralis, *quod eſt habitus electivus:*

Sedes

Sedes electionis & libertatis eſt ſedes virtutum. Atqui voluntas eſt ſedes electionis & libertatis. Ergò & virtutis. 2. à ſubjecto ſummi boni & virtutis: *Summum bonum & virtus eſt hominis proprium bonum. Ergò etiam pertinebit ad illam animæ facultatem, quæ hominis eſt propria. Et per conſ. propriè & proximè ad voluntatem, non ad appetitum ſimpliciter, quippe quem homo cum beſtijs habet communem: niſi ſecundariò & remotè, quatenus tum rationi obtemperat, atq; ſic rationis fit particeps.* 3. à modo operationis & productionis: *Ubi virtutes agunt primo & formaliter & unde prodeunt, ibi habent ſedem. At in voluntate agunt primò & formaliter & ex illâ prodeunt: quia præelectio & ſpontaneum in voluntate agunt. Ergo in voluntate habent ſedem.*

6. Argumenta Piccolominei, *quæ gradu 4. c. 8. pro ſententia ſua ſtabilienda adducit, ſi* ἀκριβῶς *examinaverimus, non adeò firma eſſe deprehendemus: Ut igitur Dominis Collegis detur anſa in ipſam veritatem majori cum fructu & ſtudio inquirendi, argumenta quædam Piccolominei examinare libet. I. Materies & forma virtutis ad eandem pertinent animæ partem: non enim forma in alio recipitur, quàm in ſua materie. At materies virtutum eſt genus perturbationum, quod ad ſolum appetitum ſenſuum pertinet, non ad voluntatem & mentem. Ergò.* Reſp: *Eſt ambiguitas in vocabulo Materia: in Propoſitione enim ſumitur propriè pro materia ex qua; in Aſſumptione abuſivè pro materia circa quam, ſive objecto: Argumentum igitur primum abundat argumento. II. Ad eam animæ partem pertinent virtutes morales & vitia, ad quam pertinent ſupplicia & pœnæ. At hæc ad appetitum ſenſuum pertinent; dolor enim ex ſupplicio conſurgens ſenſuum eſt, ut conſtat. Ad ſenſum igitur & appetitum ejus pertinent virtutes & vitia; alioquin peccaret mens, puniretur ſenſus &c.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. *ad propoſ. & quidem ad hypotheſin annexam, in qua fundatur 1. certam tantùm facultatem ob delictum aliquod puniri falſum eſt, quia totus homo ob virtutis cultum vel neglectum præmio ornatur, vel pœnas dare cogitur. 2. non eſt universaliter verum, quod illud ipſum ſit puniendum quod peccavit, fur enim ſtrangulatur, licet non collo ſed manibus furtum commiſerit. III. Ad eam animæ partem pertinent virtutes & vitia, ad quam pertinent mores naturales, qui ſunt via, ſemina & igniculi eorum. At hi pertinent non ad mentem, ſed ad facultatem ſentiendi.* Reſp. *Propoſitio non eſt univerſaliter & abſolutè vera: Habitus enim intellectualis non refertur ad naturalem ingenij facultatem, quâ homo homine ad diſciplinas quasdam eſt proclivior, ille enim refertur ad intellectū, hæc ad temperamentum non diffitente ipſo Piccolomineo gradu 5. c. 36. IV. Ille habitus cenſeri debet virtus, quo præſente adeſt virtus, quo abſente abeſt: At præſente habitu ſentientis facultatis adeſt virtus, abſente abeſt, ut patet ex differentia hominis, temperantis & continentis: Virtus igitur non mentis, ſed ſenſuum, & appetitionis eorum habitus eſt.* Reſp: *1. A particulari ad univerſale non valet conſequentia. 2. ad Aſſumpt. Temperantiam eſſe in appetitu ſenſitivo non negamus, quia hoc etiam expreſſè fatetur Ariſtoteles l. 3. c. 10. ſub initium, ſed ut antea dixi inchoativè. De continentia quæ adducit, videntur aliena, quia non meretur abſolutè virtutis nomen, quia non reddit voluntatem ſimpliciter expeditam & promptam ad actiones ſtudioſas (quod virtutis proprium eſt) cùm ſe tantùm exerceat, & in actum prodeat, dum in appetitu vehementes paſſionum motus oriuntur, quibus voluntas difficile reſiſtit: ijs enim poſtea virtutum habitu edomitis & cohibitis, nullus jam eſt continentiæ uſus, ſed illos jam multò languidiores voluntas ipſa per ſe retardat.* Conimbr. *Diſp.*

Eth. 8.

Digitized by Google

Eth. 8. q. 5. art. 3. Reliqua argumenta ſi quid concludunt, ita pro appetitu pugnant, ut voluntatem non excludant. Quare ad alia.

7. Virtus moralis (*à more per not. vel ex cauſa eff. vel objecto Ariſt. 2. Eth. c. 1. ita dicta*) eſt virtus, quæ in hominum ſocietate mores inſtruit. Eſtq; vel perfecta vel imperfecta: *quæ diviſio colligi poteſt ex 7. Eth. c. 1. ubi continentia dicitur imperfectus habitus, & conſequenter imperfecta virtus.*

8. Virtus moralis perfecta eſt habitus animi eligendi judicio præditus, in mediocritate poſitus nos attingente, rationeq; ſic definita ut prudens definiret. *Ariſt. 2. Eth. c. 6.*

9. Genus, *eſt: habitus animi eligendi judicio præditus: Habitus, inquam, ex ſua intrinſeca ratione ſecundum propriam eſſentiam bonus, non indifferens, quaſi unus idemq; habitus modò virtus modò vitium eſſe poſſit, prout falsò opinatus eſt Scotus, aſſerens, virtutem formaliter conſiſtere in relatione conformitatis ad rectam rationem, fundata in habitu ex ſe indifferenti ad bonum & malum; vitium autem ſimiliter in difformitate à recta ratione: poſſeq; eundem habitum, qui antea priorem relationem obtinebat, poſteriorem accipere: Opinionis hujus falſitas conſpicua: 1. virtus & vitiū ſunt contraria. Relationes illæ eidem habitui advenientes non ſunt contrariæ. Ergò formaliter illas non ſignificant. 2. Virtus ex ſe eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens: Ergò ex ſua natura inclinat ad actum bonum: nulloq; modo ad actum, qui recedat à medio per arbitrium prudentis definito. Et p. c. habitus ex ſua intrinſeca ratione eſt bonus.*

10. *Habitum dum dicit, virtutem non naturâ innaſci, ſed labore, ſtudio & diligentia comparari implicitè innuit.*

Digitized by Google

Mores ergò illi, quos à natura nobis tributos aſſerit Ariſtoteles *6. Nic. c. 13 ſunt potius igniculi & ſemina virtutum, quàm virtutes.* Piccol.*gr. 4. c. 2.*

11. Additur, quod ſit habitus animi eligendi judicio præditus: Virtutis enim ac morum præcipua vis in electione eſt. Ariſtoteles lib. 8. Nic. c. 13. ſub finem. Electio illa diſtinguit 1. virtutes morales ab intellectualibus. 2. excludit involuntarias actiones 3. excludit beſtias tanquam virtutis incapaces: id quod expreſſè legitur 7. Nic. c. 1. Quando igitur in 8. de hiſt. ani. c. 1. dicit: in jumentis & feris inveniri virtutes morales, quatenus in eis inſunt veſtigia morum hominis, ita leones dicuntur fortes, formicæ & apes prudentes: non virtutes in more poſitas; ſed virtutis umbram, ac tenuem ejus imaginem intelligit.

12. Ex his eliciuntur efficientes cauſæ *virtutis moralis, eaq́ vel* communes vel propriæ. *Communes indicantur vocabulo, habitus: & ſunt natura, doctrina & exercitatio. Vide theſ. 6. Diſp 4* Propriæ *continentur vocabulo, electivus:* Et ſunt crebræ actiones mediocritati conformatæ. *Ariſtoteles paſſim l. 2. Nic. c 1. 2. & ſeqq. crebræ, dico, & iteratæ: ſicut enim una hirundo non facit ver, ita una aut paucæ actiones habitum virtutis non generant. Inde diſtinguit l. 2. c. 4. inter* juſtè agere & juſta agere: *Is enim dicitur juſtè agere, qui ex habitu juſtitiæ agit, & propter tales actiones etiam revera poteſt nominari juſtus; juſtum autem ſive juſta agere non ſolum dicitur is, qui ex habitu juſtitiæ talia agit: ſed etiam qui vel caſu & fortuitò vel temerè & ſine certo conſilio atq́ propoſito, vel per ignorantiam, vel per ſimulationem: ut & invitus & coactus aut alio aliquo modo agit ea, quæ ſunt juſta: talis nondum poteſt dici juſtus, quia non ex habitu juſtitiæ agit. Qui igitur agit juſtè, agit etiam juſta,*

& eſt

Digitized by Google

& eſt juſtus: ſed non omnis qui agit juſta, agit etiam juſtè & eſt juſtus, niſi latrones, fures, prædatores prædam æqualiter dividentes dicere volueris juſtos.

13. Actiones mediocritati debere eſſe conformatas *probatur* 1. à contrarijs: *Quæ enim à mediocritate ad alterutrum extremorum deficiunt, nihil habent laudabile, & propterea ut virtutibus adverſa, ad virtutis habitum conſequendum non faciunt*, 2. à ſimili: *Sicut nimio labore corporis vires læduntur & nimio otio langueſcunt: & ſicut ſanitas moderato cibo conſervatur, nimio vel nullo corrumpitur: ita virtutis habitus mediocritate temperatis actionibus acquiritur, nimijs verò deſtruitur. Donaldſ. l. 2. c. 4. Synopſ. p. 74.*

14. *Notanda hic venit* diſtinctio inter actiones habitum antecedentes & conſequentes, *quas Ariſtoteles l. 2. c. 2. aliquo modo facit ſimiles, quia ex bonis actionibus habitum antecedentibus boni generantur habitus, & ex bonis habitibus bona etiam proficiſcuntur actiones. Actiones igitur illæ licet videantur ſimiles, quod ad externam earum ſpeciem attinet: quo ad formam tamen eſſentialem differunt, quæ conſiſtit in mediocritate, & nititur rectâ ratione, & tales ſolum ſunt actiones, quæ ab habitu virtutis proficiſcuntur. Etſi enim actiones habitum virtutis antecedentes quoq; debent habere mediocritatem: tamen ea mediocritas non nititur recta ratione, ita ut agens poſſit firmam rationem reddere, cur hoc vel illo modo agat: ſed videtur potius caſu aliquo illam mediocritatem in agendo attigiſſe. Deinde differunt reſpectu agentis: Actiones enim ex habitu proficiſcentes conjunctæ ſunt cum ſcientia agentis electione & certo propoſito, habens etiam conjunctam voluntatem, quia ſunt ei jucundæ.* Mag. *com. Eth. ad lit. D. l. 2. c. 2.* Donaldſ. *d. c. p. 75. Actiones igitur antecedentes ſunt inconſtantes, incertæ & immediatè*

 proſi-

proficiſcuntur à mente ; ſequentes ſunt certæ , expeditæ , conſtantes,& proficiſcuntur à mente per habitum.

15. Actionum illarum conſiderabimus 1. Principia. 2. Adjuncta. Principia ſunt quatuor: Libertas,Voluntas,Deliberatio & Electio. *Mens enim rem ſub ratione boni judicat,voluntas eam liberè vult,conſultatio de medijs,quibus obtineatur conſultat,Prælectio præligit id, quod conſultatione cæteris fuit prælatum.*

16. Libertas *eſt potentia animi, qua neq; naturæ inſtinctu , neq; vi,ſed arbitratu noſtro tendimus ad finem,libereq; aliquid velle vel reſpuere valemus.* Objectum igitur ſunt res humanæ neceſsitate carentes.

17. *Circa libertatem quæſtio hæc diu multumq; exagitata,quâ poteſt fieri brevitate,diſſolvenda:* An homo habeat liberum arbitrium in naturalibus ſive moralibus? *Negativam tuebantur* Stoici *fatui fato , id eſt,connexioni cauſæ primæ cum ſecundis , quâ prima cauſa neceſſitatem abſolutam ſecundæ inferat,omnia adſcribentes : quæ ſententia manifeſtè impia & blaſphema eſt , quia DEUM ter. opt. max malarum actionum cauſam blaſphemè conſtituit. Confundantur , inquit* Gregorius *ſuper caput 54. Eſaiæ , qui Deum malorum authorem arbitrantur. falſitatem etiam agnovit Ethnicus* Plato *Dial. 2. de Rep. Malorum alicui cauſam eſſe Deum,cùm bonus ſit,refellendum eſt omninò,nec permittendum, hoc quendam dicere in ſua civitate , ſi bonis inſtrui civitas legibus debet. Hoc & ſibi capiant Calviniani. Aſt Dei præſcientiam obtendebant Stoici;quibus reſpondemus: Dei præſcientia non infert rei prævifæ neceſſitatem. Deus enim non ideò præſcit ut res eveniant,ſed quia ex ſuis cauſis eventuræ erant , ideò præſcit & prædicit : Ita Medicus ex ſuis cauſis prævidet morbum, Aſtronomus Eclipſin : nec tamen ille cauſa morbi,hic Eclipſeos dici poterit. Alia quæ objici poſſunt*

maxi-

Digitized by Google

maximam partem his diſtinctionibus ſolvi poſſunt, ſi diſtinguatur inter neceſſitatem conſequentis & conſequentiæ, cauſæ & effecti. 2. inter neceſſitatem abſolutam & hypotheticam. 3. inter libertatem à jure ſive obligatione & coactione: ſumus enim legum ſervi ut liberi eſſe poſſimus. Cic. *pro Cluentio.* 4. *inter principium agendi & eventus gubernationem.*

18. *Pro negativa etiam pugnant* Planetarij, *qui ab aſtris omnia effecta in his ſublunaribus dependere ſomniant: Somnium hoc ut refutetur. Diſting. eſt inter naturalia & voluntaria: Aſtra agere in naturalia non inficiamur; voluntariorum autem, quæ à liberâ hominis voluntate ejusdemq́; prælectione unicè profluunt, cauſas eſſe non affirmabimus; certi enim hi ſunt Canones: Aſtra inclinant ſed non neceſſitant: Aſtra afficiunt ſed non dominantur.*

19. Nos pro affirmativa conſtanter dimicabimus *rationibus haud infirmis.* 1. ab hominis formâ. *Homo eſt rationis particeps. Ergò & libertatis: Utimur enim ratione, ut præterita cum futuris, diſtincta inter ſe, ac oppoſita cum oppoſitis comparantes judicemus, quid eorum à nobis præeligendum ſit.* 2. ab effectis. Per *propriam enim naturam, conſultamus, deliberamus, conſilium mutamus, improbos damnamus, Juvenes ad virtutem hortamur, probos laudamus, rudes docemus &c. quæ ſine libero arbitrio vel inania penitus eſſent, vel fieri non poſſent.* 3. ab adjunctis incommodis. *Sublata libertate, nullus relinqueretur locus virtutibus & vitijs, tollerentur præmia & pœnæ, judicia, omnis Magiſtratus, quin & omnis & univerſa Politia: Confer* Ariſtotelem, *l. 3. Eth. c. 5.*

20. Voluntas *eſt appetitio veri boni vel apparentis cum ratione.* Objectum igitur ejus eſt bonum verum, vel apparens: *ſed ita ut verum bonum ſit per ſe objectum vo-*

luntatis ; bonum autem apparens,id eſt,tale quod quidem revera bonum non eſt,ſed hominibus corruptis bonum eſſe videtur,ſit objectum per accidens. Keckerm. *p. 48. Syſt. Eth.vel ſi mavis ita : Voluntas ratione eſſentiæ ſuæ, & ratione reſiduæ portiunculæ de imagine divina fertur in bonum* ἀληθινὸν *& reale : ratione autem exiſtentiæ ſive vitioſi habitus in* φαινόμενον,*quod quidem in ſe malum,ipſi tamen ob cæcitatem intellectus videtur bonum.* Reijcimus igitur ſententiam 1. Stoicorum *ſolum verum bonum objectum voluntatis ſtatuentium,quia 1.omnia illa eſſent bona vera dicenda,quæ improbi volunt. 2. quia voluntas improbi,quæ ad malum tendit,non eſſet dicenda voluntas, & conſequenter homines mali reperirentur ulli,nec peccata committerentur.* 2. Academicorum *ſolum apparens bonum objectum voluntatis eſſe exiſtimantium,quia* 1. *nihil in ſe & ſua natura eſſet bonum. 2. quia voluntatis objectum eſſet incertum, pro diverſis temporibus & ingenijs bonum & non bonum.*

21. Deliberatio ſive conſultatio *eſt ratiocinatio de medijs, per quæ ad finem pervenitur. Conſultamus igitur non de finibus,ſed pertinentibus ad finem,* Ariſt. *l. 3. Nic. c. 3. ſi ſcrupulus hic alicui ſubortus fuerit,diſtinguat inter finem ultimum & ſubordinatum : De fine enim ſubordinato poteſt eſſe conſultatio,quia tum habet rationem medij ad finem ultimum tendentis.* Objecta *deliberationis non debent eſſe æterna ſive neceſſaria,nec naturalia,nec præterita,nec fortuita ; ſed humana, & quidem ea, quæ ſunt 1. in noſtra poteſtate, & per nos agi poſſunt. 2. quæ propriè ad nos pertinent,neq; ſunt aliena à noſtro officio. 3. contingentia, quæ non ſemper eodem modo eveniunt. 4. indeterminata, quæ nondum certò definita ſunt, & determinata,quo pacto fieri debeant. In conſultatione obſervetur præceptum* Iſocratis : βουλεύου βραδέως,

Delibe-

Delibera diu. Et ſi res gravis eſt & ardua alij viri, ijq; boni (quia à conſiliario malo animam noſtram ſervare debemus, Syr. 29. conſilia enim impiorum ſunt fraudulenta, Prov. 9.) prudentes (cum fatuis enim conſilium non habeas, Syr. 8.) benevoli ſive amici (coram extraneo enim ne facias conſilium, Syr. c. 8. bono autem conſilio anima recreatur, Prov. 29.) in conſilium ſunt adbibendi, quia εἷς ἀνὴρ οὐ πάντα ὁρᾷ, *unus vir non omnia intelligit, & oculi plus vident quàm oculus, ut dicitur in proverbio.*

22. Electio *eſt appetitio præmeditata eorum, quæ conſultatione ſunt prælati. Objectum cum conſultatione idem habet: Differunt tamen, ut antecedens & conſequens, dirigens & exſequens, adeò ut conſultatio ſit officium facultatis cognoſcentis, praelectio verò appetentis.* Picc. *gr. 2. c. 22.*

23. Magirus *l. 3. c. 3. Comm. Eth. ad lit. A. eleganter & nervosè ſex rerum agendarum enarrat gradus: Primus eſt cognitio rei ſuſcipiendæ. 2. Voluntas,* βούλησις: *quæ ab ipſa cognitione excitatur. 3. Conſultatio,* βούλευσις, *ne voluntas falſa bonitatis ſpe & ſpecie decipiatur. 4. Decretum* γνώμη, *eſtq; quaſi concluſio conſultationis. 5.* προαίρεσις *Electio rei deliberata & concluſa, quam 6. ſequitur* πρᾶξις *ipſa actio, per quam ea quæ cognovimus, voluimus, conſultavimus, decrevimus & elegimus, etiam in effectum producimus.*

24. *Hæc de principijs actionum:* Adjuncta actionum ſunt invitum & ſpontaneum. *Ariſt. l. 3. c. 1. quorum cognitio legislatori neceſſaria eſt, non enim eadem pœna dignus eſt, qui invitus, & is, qui volens peccavit, ut ex ſacris etiam notum eſt, quia lege divina abſolvi poſſunt, qui non volentes homicidium perpetrarunt. Num. 35. Deut. 19.*

25. Invitum *eſt: cujus principium aliunde provenit.* Eſtq; vel violentum vel imprudens. Violentum *eſt,*

cum vi

Digitized by Google

cum vi coactè aliquid agimus. Eſtq; vel abſolutè violentum, vel mixtum. Abſolutè violentum *eſt, cujus principium, h. e. cauſa movens eſt extra agentem, ita, ut ad eam actionem, is, qui agit, nihil planè adjumenti conferat.* Tria igitur requiruntur ad actionem abſolutè violentam, *1. ut cauſa movens ſit extra agentem. 2. ut principium illud externum ſit ſatis validum, ad illam actionem perficiendam. 3: ut patiens planè nullum conſenſum aut adjumentum ad illam actionem præbeat. Exemplum legere eſt* 2. Maccab. 5. *ubi Rex Antiochus quosdam Judæos violenter hædera coronavit, & ad ſacrificiũ Bacchi pertraxit. Sic* Livius *in prima decade refert de Lucretia, quod vi fuerit ſtuprata à Sexto Tarquinio. Talis fuit Cambyſis actio pellem injuſto judici detrahentis.* Herod. *l. 2.*

26. Mixta *actio eſt, cujus principium, cum in noſtra ſit poteſtate, & re per ſe mala videatur, ideoq; nec eligenda; reſpectu verò circumſtantiarum bona & eligenda cenſetur. Bifariam igitur hæ actiones conſiderantur, vel ratione cauſæ efficientis externæ, & ſunt invitæ; Vel reſpectu cauſæ finalis, propter quam fiunt, & reſpectu conceſſæ optionis ex duobus malis minus eligendo, atq; ſic ſunt voluntariæ, quia ubi agenti datur optio, utrum velit, faciat, libertas voluntati conceditur. e. g. ſi mercator exorta tempeſtate merces è navi ejicere cogeretur vitæ conſervandæ cauſa: ejectio ipſa reſpectu tempeſtatis eſt violenta; reſpectu finis voluntaria. Item: ſi viator incidens in latrones certa pecuniæ ſumma vitam redimeret. Contra id autem quod actio mixta partim dicitur voluntaria objici poteſt 1. Objectum voluntatis, quod non eſt malum, ſed bonum. th. 20. In actionibus autem mixtis, reſpectu finis etiam eſt aliquid mali, quando nimirum ex duobus malis minus eligitur. Ergò actiones mixtæ non ſunt voluntariæ.* Reſp. *Malum illud*

lum illud minus conſideratur vel ἁπλῶς in ſe vel comparatè κατά τι reſpectu majoris mali & ita habet rationem boni. 2. *Pœnitentia, tales actiones plerumq; ſequens, qua oſtendit illas non fuiſſe voluntarias.* Reſp. *Actiones æſtimantur ex tempore illo, quo fiunt, non quod conſequitur. Pœnitentia igitur quæ poſt factum ſequitur, naturam facti non mutat.*

27. *Offert ſeſe hic nobis non inconvenienter caſus quidam Politicus decidendus, nempe talis:* An iſte qui latroni redimendæ vitæ cauſa jure jurando ſilentium aut pecuniam promittit, eamq; non ſolvit, veniam mereatur? *variè variorum variant de hoc conſilia: Nos ſalvo aliorum judicio maturiori ita progrediemur, ut pro rei promiſſæ & circumſtantiarum qualitate quæſtionem decidere annitamur: Diſtinguimus igitur* 1. *inter promiſſa poſſibilia & impoſſibilia: ſi ad juramentum acceſſerit impoſſibilitas veniam meretur in foro ſoli: Quia ultra poſſe nemo obligatur: & in foro poli, ſi seriò qui juravit, pœnitentiam egerit.* 2 *inter juramenti diverſa genera: Aliud enim eſt contra bonos mores ſive contra legem naturæ, utpote de ſtupro virgini inferendo, de proximo interficiendo. Aliud autem tale non eſt, ſed leviuſcula terrena concernit bona: Hoc eſt obligatorium, licet enim voluntas ſit coacta, eſt tamen voluntas; illud verò minimè: Quicquid enim eſt impium actu, eſt etiam impium juratu, neq; peccatum peccato eſt cumulandum: Qui igitur tale juramentum ſervat bis peccat, ſemel malè jurando, deindè male juratum ſervando. Quod enim malè juratur, pejus ſervatur: Unde & Regius noſter Propheta Pſ. 15. v. 16. hæc in verba prorumpit: Contemptus in oculis Jehovæ reprobus, qui juravit in malum & non mutat. Qui igitur ex imbecillitate humana tale juramentum præſtitit, memor ſit aureæ hujus ſententiæ Iſidori: In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi*

voto muta decretum, quod incautè voviſti ne facias, impia enim eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur.

28. Actio invita imprudens *eſt, quæ ab agente circumſtantiarum quarundam ſingularium ignaro ſine fraude committitur, habetquè ſubſequentem pœnitentiam ob delictum commiſſum, atquè ſic excuſatur.* Circa hanc notandum diſcrimen 1. inter ignorantem agere, & per ignorantiam: Ignorans *dicitur agere is, qui tunc, quando agit, ignorat quidem, quid agat: ſed tamen ignorantia illa non eſt præcipua cauſa ejus actionis; verum aliud quiddam per quod ſibi ignorantiam accerſivit: Et hic non excuſatur: ut cum ebrius vitium aliquod committit, veniam non meretur, ſed duplici pœna puniendus, prout rectè ſtatuit Pittacus: Vna propter ebrietatem, altera propter delictum per ebrietatem commiſſum.* Per ignorantiam *ſive ex ignorantia agit is, cui ipſa ignorantia fuit cauſa malæ actionis, ut qui per ignorantiam Roſtochij inebriatus fuit, quia nondum ſciverat neq; cogitaverat vim cereviſiæ Guſtrovienſis* Kny-ſenack *dictæ, tantam ineſſe, ut poſſet inebriari: factum quod tum committitur meretur veniam, & redditur invitum, ſi nim. ſubſequatur pœnitentia.*

29. 2. Inter ignorantiam juris & facti. Ignorantia juris *illa eſt, qua ignorantur ea, quæ unusquisq; antequam actionem ſuſciperet, meritò & jure ſcire deberet, aut ſaltem de illis interrogare & inquirere: Hæc ignorantia non excuſat, quia ipſa ignorantia non eſt cauſa delicti; ſed potius voluntas & malitia agentis, qui noluit inquirere & ſcire ea, quæ facilè potuiſſet & debuiſſet, antequam actionem ſuſciperet, ſi modò ſeriò de illa cogitaſſet.* Ignorantia facti *eſt, quando agens ignorat*

rat quasdam circumſtantias rerum ſingularium, vel perſonarum, loci & temporis & ſimilium, in quibus totius actionis præcipua vis conſiſtit, quas tamen per ſe ante actionem non potuit prævidere neq; præcavere: Elegans Exemplum habemus in Iſaaco Gen. 24. benedictionem primogenituræ conferente in Jacobum. Hæc ignorantia caret dolo, nec noſtra culpa aut negligentia fuit accerſita, reddit igitur actionem invitam & meretur veniam.

30. Spontaneum eſt, cujus principium eſt in volente & agente. Ad actionem igitur ſpontaneam in homine duo requiruntur 1. notitia, ut ſciat quid agat. 2. voluntas, ut actioni conſentiat.

31. Hæc prolixè de cauſa Efficiente virtutum, nim. Actionibus, earundem principiis & adjunctis: Reſtat virtutis forma: de qua non levis controverſia: Primò videbimus ſententiam Ariſtotelis, & reliqua verba definitionis explicabimus: deindè cum ſententia Clariſſ. Meiſneri conciliare conabimur. Forma igitur virtutis ex ſententia Ariſtotelis eſt mediocritas ad nos relata: Mediocritas hæc nihil aliud eſt, quam medium inter exceſſum & defectum, medium, inquam, receſſus, quia ab utroq; vitio recedit: In actionibus enim eſt ὑπερβολή, exceſſus. 2. ἔλλειψις, defectus. 3. τὸ μέσον, medium: priora duo ſunt in vitio, poſterius in laude & rectè factis. Ariſt. l. 2. Eth. c. 6. non igitur eſt medium per extremorum participationem, quale eſt tepidum inter caliditatem & frigiditatem, quia tum participaret aliquid de utroq; extremo, quod eſt contra ſuam naturam.

32. Medium autem receſſus eſt duplex: Ariſt. l. 2 c. 6. τοῦ πράγματος rei ſive Arithmeticum & πρὸς ἡμᾶς, perſonæ ſive Geometricum. Medium rei appellat id, quod

æquè abeſt ab utroq; extremorum: idq; apud omnes unum & idemq; eſt, e g. centrum circuli eſt medium punctum in circulo, & illud æqualiter diſtat à differentia circuli. Atq; hoc medium rei dicitur habere proportionem Arithmeticam, in qua termini ſemper æqualiter à ſe mutuo diſtant, ut 3. 4. 5. 6. qui numeri æqualibus intervallis à ſe mutuo diſtant: alter enim alterum ſola unitate excedit. item, 4. 6. 8. 10. Hic tum excedens, tum deficiens ab intermedio per binarium diſsidet. Medium ratione noſtri, ſive perſonæ *appellat id, quod nec tranſit modum nec deſerit: id eſt, in quo ſervatur eadem proportio majoris termini ad medium & medij ad extremum: e. g. ſicut ſe habent 4. ad 8. ſic 6. ad 12. Ita & ſex medium eſt inter quatuor & novem, ſicut enim ſenarius numerus eſt quaternarij proportio ſeſquialtera, ſic novenarius eſt ſenarij ſeſquialtera, i. e. ſicut ſenarius continet quaternarium in ſe ſemel integrè, & adhuc ejusdem quaternarij dimidium, ſic novenarius continet ſenarium ſemel, ejusdemq; ſenarij dimidium. Ariſtoteles declarat exemplo ex arte γυμναστικῆ τροφῆ, in qua Magiſter ludi ſive Athletarum præfectus diſcipulis pro ratione roboris & corporis certam cibi menſuram aſsignavit, Miloni nim. robuſtiſsimo quantitatem majorem: Tyroni autem alicui non adeo robuſto corpore prædito minorem. Poſterius hoc medium locum habet ex ſententia Ariſtotelis in virtutibus, quia ad ejus inventionem non tantum conſideranda ſunt actiones in genere, ſed etiam conditiones & circumſtantiæ actionum ſingularum, ut perſona, loci, temporis: pro ratione igitur circumſtantiarum variatur, nec poteſt abſolutè medium dici, nec abſolutè definiri, id quod ita nolim accipiatur, quaſi virtutis eſſentia ſit mutabilis: Eſt enim habitus, ac propterea conſtans & invariabilis; ſed reſpectu modi exiſtendi variabilis dicitur, quia modus agendi ſecun-*

dum hunc

Digitized by Google

dum hunc habitum ſæpe variatur. Ne verò temerè ejusmodi variatio fiat, & ne à recta ratione recedat, ideò actio tota debet ſecundum rectam rationem exigi, & quidem non à quolibet, ſed ſecundum judicium viri prudentis: Virtutis igitur moralis norma & regula eſt judicium viri prudentis, quod non obſcurè innuunt ultima verba definitionis ,ratio- neq; ſic definita, ut prudens definiret, *videatur* Donaldſ. *l. 2. Synopſ. c. 3. p. 66.*

33. *Virtutem autem in mediocritate eſſe poſitam probat* Ariſtoteles *l. 2. Nic. c. 6. tribus argumentis, quæ non repeto: ſtatuit idem* Horatius *Epiſt. 19. Virtus eſt medium vitiorum utrinq; redactum. & ſat. 1. l. 1. Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines: Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum. nec diſſentit* Plutarchus *de liberis educandis: Mediam, inquiens, in cunctis ſecare viam ſummæ artis & conſonantiæ eſt, ut taceam ſacram paginam calculum ſuum ſententiæ noſtræ addentem: ita enim Jehovah Deut. 5. v. 32. monet: Non declinabitis neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. quod repetit Salomon Proverb. 4. v. 27. Paulus etiam Rom. 12. v. 3. monet ne quis arrogantius de ſe ſentiat, quàm oportet, ſed ut potius modeſtè de ſe ſentiat.*

34. *Sententia hæc, quæ ſatis obſcura & intricata, ut fiat magis perſpicua, notari poteſt. 1. Virtus natura ſua & definitione, qua quid ſit explicatur, mediocritas eſt: præſtantia & bonitate extremitas.* Ariſt. *2. Eth. c. 6. quod alij ita efferunt: Virtus reſpectu eſſentiæ eſt mediocritas; reſpectu qualitatis ſive perfectionis eſt extremitas.* Donald. *d. l. & c. 2. Cum virtus moralis eſt collocata in medio, non conſimiliter cunctis ejus partibus medium reſpondet: Virtus enim poteſt eſſe in medio poſita, vel conſiderando latitudinem perturbationis, vel inſpiciẽdo duo extrema vitia, vel perpẽdendo conditiones,*

tiones, quæ circumſtantiæ nuncupantur, vel demum conſiderando conſimilitudinem rationum, quæ in diſtributione ſervantur. Piccol. *gr. 4. c. 6. 3. Mediocritas hæc non excludit ſed includit convenientiam cum lege & ratione. 4. Mediocritas potius virtutis formam conſequens quàm ipſa forma nominanda; virtus tamen per eandem non incommodè poteſt definiri.* Clariſs. Meiſn. *q. 2. c. 2. par. 1. ſ. 2. P. S. 5. quod ſufficit pro Ariſtotelis ſententia, ſi non defendenda, certè excuſanda.*

35. Et hæc de virtute in genere, *cui, tanquam adverſum non purum privans, opponitur* vitium, *quod* eſt habitus electivus, cum mediocritate, recta ratione & judicio viri prudentis pugnans. *Pugnat autem vitium cum mediocritate dupliciter vel in exceſſu vel in defectu. Et ſi quæſieris,* An magis ſit fugiendus exceſſus, quàm defectus? *Hæc tibi ſit reſponſio: In quibusdam actionibus exceſſus virtuti eſt ſimilior, in quibusdam defectus: In illis igitur magis cavendus defectus, in his exceſſus.* Hic tibi ſit finis: Medio tutiſſimus ibis.

Corollaria.

1. Theolog. *An homo habeat liberum arbitrium in ſpiritualibus? D.*
2. Logicum. *Non eſt abſurdum dicere: Idem eſſe & cauſam & effectum.*
3. Rhetoricum. *Tropi ſpecies ſunt quatuor:* 1. Metonymia, *in argumentorum conſentaneorum.* 2. Ironia, *in Diſſentaneorum contrario-*

trariorum. 3. Metaphora, *in comparatorum ſimilium.* 4. Synecdoche *in ortorum Diſtributionis nimirum partium cum toto affectione fundata.*

4 Politicum. *Ad matrimonium non tantùm de honeſtate, ſed etiam de neceſsitate requiritur parentum conſenſus: idq́ ostenditur* 1. *ex lege naturæ, Matt.* 7. *v.*12. *Omnia quæcunq́ volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis. Certiſsimè autem liberi ægrè ferrent, ſi ſui ex ſe procreati ſine ſuo conſenſu matrimonium contraherent. Quod igitur ſibi à ſuis fieri nolunt liberis, parentibus ſuis etiam neutiquam faciant.* 2. *ex lege ſcripturæ, & quidem ſpecialiter ex quarto præcepto, in quo jubemur parentibus noſtris debibitum honorem & obedientiam in quibusvis caſibus legitimis, de neceſsitate etiam, præſtare. Si v. parentes proprium reſpicientes commodum recuſaverint liberos elocare ex atrocitate & nimia ſeveritate, Concionatores autem, Magiſtratus & alij boni amici utile & honeſtum conjugium futurum judicaverint, hæc videtur valere & verè valet regula JCtorum: Videri debet conſentire pater, ſi nullam probam & juſtam ſive ſufficientem diſſentiendi cauſam habeat.*

Doctiſ-

Doctiſsimo & Ornatiſsimo Dn.
RESPONDENTI.

CHRISTIANUS BURGSTHETUS,

Per Anag.

TU; CHRISTUS SURGIT HABENS.

EST opus, & labor eſt, ut te virtutibus ornes;
Et te Virtutum cognitione bees:
Verùm opus, & mundi labor eſt; pereat pia Virtus,
Nec ſua Virtuti præmia parta ſient.
TV tamen inſta operi, nec te ſententia vertat,
Chriſtus ſurgit habens *præmia: Habebis: Habes.*

Ex animo gr.

M. Laurentius Ludenius
Poët. C. C.

Digitized by Google

17

Collegij Ethici

DISPUTATIO SEXTA,

De

VIRTUTIS OBJECTO ET ADJUNCTO:

SIVE DE

AFFECTIBUS ET AMICITIA.

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtpha.
S.S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipiet

HENRICUS von Münſtern/Roſtochienſis.

ad diem 25. Aprilis, horis & loco conſtitutis.

Plautus in Pſeud.

Pauci ex multis amici ſunt homini, qui certi ſient.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M.DC.XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I.

PRopoſitis principijs virtutum, ad earundem objectum & adjunctum acceſſum facimus: Objectum virtutis, ſunt: Affectus: *Ariſt. 2 Eth. Nic. c. 3. quos ut virtute formandos, moderandos & corrigendos conſiderat Ethicus.*

2. *De affectuum Definitione variant Ethici*: Donaldſonus *l. 2. Syn. c. 7. ita definit*: Affectus ſunt averſi à rectâ ratione animi motus, quos voluptas vel dolor conſequitur. *cujus poſterius membrum, idq; legitimum, deſumpſit ex* Ariſt. *l. 2. Eth. Nic. c. 5. prius ex* Cicer. *l. 4. Tuſcul. quæſt. Quod refutat* Magirus *comm. in Ariſt. Eth. l. 2. c. 5. ad lit. A. quia tantùm intelligitur de vehementioribus & immoderatis affectibus, qui perturbant animi tranquillitatem. Tales autem affectus ſunt vitioſi, alioqui etiam ſunt multi boni & laudabiles affectus, ut paulò poſt videbimus. Definitio igitur Donald. eſt anguſtior definito, proindeq; vitioſa. Quare aliam d. l. Magirus ſubſtituit*: Affectus, *inquit*, ſunt qualitates animi, quibus commoventur homines ad aliquid fugiendum aut expetendum, agendum aut non agendum, quæ conjunctam habent, vel voluptatem aliquam vel moleſtiam ſeu dolorem. *Piccolomineo gr. 2. c. 5. hæc arridet*: Perturbatio eſt motio appetentis ſenſuum facultatis, nec non ſpirituum cordis, ab objecto quod per vim imaginandi vel jucundum nobis vel moleſtum apparet, ob moleſtiam vitandam, fruendamq; jucunditatem.

3. Cauſa efficiens affectuum *partim eſt ſubjectum ſub ratione moleſti vel jucundi; partim objecti cognitio motum cordis antecedens, verè enim dicitur:*

Quod latet ignotum eſt, ignoti nulla cupido.

Et: ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν.

Digitized by Google

Cum igitur apprehendimus objectum, & judicamus bonum, aut malum eſſe, ſpiritus moti in cognitione feriunt cor, quod, quaſi ictum & pulſatum, cietur & aut expetit objectum aut fugit. Talis enim eſt copulatio virium natura, ut motus cordis reſpondeant cognitioni. Multum autem refert, quale ſit temperamentum cordis: Nam calidius & ſiccius, celerius & vehementius incenditur ira. Thomas Freigius *l. 36. quaſt. Phyſ. p. 1272.*

4. Subjectum primarium inhæſionis, *per quod affectus ſeſe exſerunt non eſt cerebrum, ſed cor: quia omnis affectus ſive iræ ſive cupiditatis in corde perturbationem excitat, in eoq; mox ſentitur: tum verò, quia cor Philoſophorum conſenſu eſt origo & fons omnium vitalium operationum; in quo ordine appetitus ad ſervandam vitam & pericula propulſanda à natura dati conſiſtere debuerunt,* Conimb. *Diſp. Eth. 6. q. 2. a. 2.*

5. Dum autem ad facultatem appetentem affectus referimus, facultatem cognoſcentem non ſimpliciter excludimus, ſed præſupponimus: facultas enim cognoſcens rem judicans, ut bonam vel malam, non quidem abſolutè, ſed nobis, vel noſtris, (hoc enim judicio demto non excitatur appetitio) appetitum excitat. Breviter: *quia perturbatio eſt motio oriens ex judicio boni vel mali, & ea motio non eſt judicium, ſed ſequitur judicium ut umbra corpus, jure non ad facultatem cognoſcentem, ſed ad appetentem pertinebit.*

6. Circa affectus in genere quæritur 1. An affectus ſint opiniones, *prout opinati ſunt Stoici? Reſp. Neg. Ratio hæc eſt: Quæcunq; ſubjectis differunt, realiter differunt, i.e. ſunt res diverſæ. Opinio & Affectus ſubjectis differunt. Ergò. Minor probatur, quia opiniones ſunt in parte cognoſcente, ad quam pertinet cerebrum; affectus autem in corde, ut patet ex*

præce-

Digitized by Google

præcedentibus: Præcedit tamen cognitio ſeu opinio, quæ aliàs vera eſt, aliàs falſa: ſicut Solon audiens falſam narrationem de morte filij, dolore afficitur, & rurſus cognita falſitate, deponit dolorem: Talis enim natura cordis eſt, ut moveatur re monſtrata per cognitionem, ſeu verè ſeu falsò, unde dicitur: Ignoti nulla cupido. Sed tamen alia res eſt notitia, alia affectus: ſicut alia res eſt viſus, alia incendium amoris in corde. D. Philippus in Epit. Phil. Moral. *p. 60.*

7. *Quæritur 2.* An affectus tota ſua latitudine ſint pravi? *Reſp. Somnium hoc fuiſſe Stoicorum, communis eſt Philoſophorum ſententia; aliter tamen Stoicos ſenſiſſe probare conatur* D. Finckius Schediaſm. 76. par. 1. *Nos, ipſam controverſiam, miſſo ejusdem authore, videbimus, & pro quæſtionis negativa his fundamentis pugnabimus: 1.* à Cauſa implantante; *Quicquid Deus hominum naturæ inſevit, illud non eſt malum. At Deus quosdam affectus, ut* στοργὴν *& amorem mutuum conjugalem, hominum naturæ inſevit. Ergò quidam affectus non ſunt mali. De Aſſumptionis veritate ſi dubitas, conſule propriam naturam, quam ſi exuiſti, conſule experientiam, vel ſi mavis ſcripturam, quæ ſcrupulum tibi facilè eximet, præſertim ſi conſideraveris illa loca, ubi Deus à minori ad majus argumentatur, ut: Eſa. 49. v. 14. 15. Matt. 7. v. 10. 11. à ſimili Pſ. 103. v. 13. Matt. 23. v. 37. in quibus* στοργὴ *naturalis ſatis dilucidè probatur. De amore conjugali notabilis eſt locus Gen. 2. v. 24. & ex illo Mat. 19. v. 5. Obiter hîc nota, quod affectus dicantur naturales, conſiderati reſpectu originis; reſpectu confirmationis verò ſi conſideraveris, aſſuetudine acquiſitos non incommodè dixeris. 2.* à cauſa imperante: *Quicquid Deus in lege mandat, illud non eſt malum. Atqui Deus quosdam affectus in lege mandat: Ergò. Aſſumptio non poteſt eſſe dubia illi, qui ſiniſtro ſaltem oculo Biblia inſpexit, &*

Decalogum perpendit. 3. à ſubjecto nobiliori: *Quicquid in ſacris Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, illud per ſe in homine non eſt malum. At quidam affectus Deo tribuuntur in ſacris ἀνθρωποπαθῶς. Ergò quidam affectus per ſe non ſunt mali. Minorem probo: Ira Deo tribuitur Pſ. 5. v. 1. furor & odium Pſ. 2. v. 12 & quidem propter vindictam. Pœnitentia Gen. 6. v. 6. quando punit eos, quibus antea benefecerat: triſtitia & miſericordia paſſim.*

8. *Quæritur inde* 3. An affectus, quatenus tales, cadant in Deum? *Reſp. Neg. quia Deus juxta ſe eſt* ἀμετακίνητος, ἀμετάβλητος, ἀμετάτροπος καὶ ἀμετανόητος: *Nomine igitur affectuum Deo attributorum, effecta Dei intelliguntur; adeò ut humanitus dicta, ſint divinitus intelligenda. Elegans hanc in rem eſt Auguſt. l. 17. de civit: c. 7. obſervatio: Ubi legitur, quod Deum pœniteat, mutatio rerum ſignificatur immutabili præſcientia divina manente. Elegantior eſt ejusdem per ſimile declaratio, ſuper Pſ. 92. Quemadmodum Sol, oculos puros, ſanos, vegetos habenti tranquillus apparet; in oculos autem lippos quaſi tela aſpera jaculatur: intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, ſed mutatũ. Sic tũ cœperis eſſe perverſus, & tibi perverſus videbitur, tu mutatus es, nõ ille, Elegantiſſima eſt* D. Lutheri *enũnciatio, quã habet in aureis & mellitiſſimis cõmẽtarÿs in Geneſin ſuper loc. Gen. 6. v. 6 Spiritus Sanctus in ſcriptura ſacra nõnũquam loquitur ſecundum cogitationes iſtorum hominum, qui ſunt in miniſterio Eccleſiaſtico: E. g. Noah videns malitioſam hominum malitiam, à Spiritu Sancto deploratam, ad intimam commovetur triſtitiam. Terminis Logicis ita efferre poteris: Cauſa principalis nominatur & inſtrumentalis intelligitur.*

9. Hæc de affectibus in genere, ſequuntur eorundem ſpecies; *Affectus ſunt vel Simplices vel Mixti; Simpli-*

Simplices ſunt vel ex Bono vel Malo: Ex Bono quidem vel præſenti vel futuro. Affectus ſimplex ex bono præſenti eſt: Lætitia,*quæ talis eſt affectus,quo cor in bono præſenti acquieſcit,& velut accipit intra ſe & amplectitur objectum. Ex bono futuro ſunt Spes & Amor.* Spes *eſt affectus,quo cor futurum bonum appetit, ſeq; ad illud accipiendum aperit & præparat. Spei eſt vicinus Amor, qui tamen eſt affectus ardentior:* Amor *enim eſt affectus, quo animus cum re amata unum fieri cupit.*

10. *Affectus ſimplices ex malo, ſunt itidem vel ex malo præſenti, ut Triſtitia & Miſericordia.* Triſtitia *eſt affectus,quo cor malum præſens fugit & quaſi conſtringitur,premitur,tremit & langueſit,cum acri ſenſu doloris. Ac niſi deſinat triſtitia, tandem cor torrefactum extinguitur.* Miſericordia *eſt triſtitia propter alienas miſerias orta; vel ex malo futuro; ut: Metus & Pudor.* Metus *eſt affectus, quo cor conſtringitur tãquã fugiens futurũ malũ.* Pudor *eſt metus turpitudinis,naturaq; hominum ideò attributus,ut & frenum ſit ne turpia ſuſcipiantur,& ſit vindex ſi perpetrata fuerint.*

11. *Affectus mixti,ſunt: zelus,zelotypia,* ἐπιχαιρεκακία, *Ira & Odium.*

12. Zelus *eſt affectus ex amore & ira mixtus, cum videlicet amans aliquid iraſcitur illi à quo læditur res amata. E.g. Juſtus gubernator ardet zelo: i. e. amore juſtitiæ & indignatione adverſus improbos. Similis affectus eſt* Zelotypia,*cùm amans conjugem iraſcitur alienanti.*

13. Ἐπιχαιρεκακία *affectus eſt zelo contrarius mixtus ex odio & gaudio: Eſt enim odium virtutis & gaudium ex calamitate bonorum & ſucceſſibus ſceleratorum: ut Diaboli verè & propriè* ἐπιχαιρέκακοι Schadenfro: *& omnes qui illum ſequuntur.*

14. Ira

14. Ira *eſt mixtus affectus ex triſtitia & cupiditate ulciſcendi. Eſt enim motus, quo cor offenſionem aliquam averſatur, & ſimul conatur depellere aut pœna afficere authorem offenſionis.* Ubi diſtinctio notanda venit inter ὀργὴν & ὀργιλότητα, Iram & iracundiam. *Iracundia eſt animi propenſio ad facilimè & levi de cauſa iraſcendum. Ira eſt ipſa excandeſcentia, ſeu affectus iracundiæ. Ita iratus dicitur, qui jam actu ipſo iraſcitur, iracundus autem qui facilè ad iram poteſt concitari, etiamſi actu ipſo nondum iraſcatur, prout etiam diſtingui ſolet inter ebrium & ebrioſum. Iracundiæ ſpecies tres proponit* Ariſtoteles *l. 4 Eth. Nic. c. 5.* 1. Ἀκροχολία Excandeſcentia, *quæ eſt vitium, quo ſubito & ob leviſſimam cauſam vehementius iraſcimur, quàm oportet, quo vitio plerunq; laborant Cholerici.* 2. Πικρία, Amarulentia, *quæ eſt vitium, quo vehementer, facilè & diu iraſcimur, quo vitio laborant Melancholici.* 3. Βαρυθυμία, Aſperitas animi, *eaq; eſt gravis, pertinax & aperta ira, quæ ſine vindicta non poteſt conciliari: Rectè igitur dicitur belluina ferocitas, quæ cernitur in pernicioſis.*

15. Odium *eſt inveterata ira: id eſt, habitus ex ira ortus, quo cor averſatur aliquid tanquam malum, idq; depellere geſtit.*

16. Adjuncta ſive comites affectuum ſunt voluptas & dolor *Ariſt. l. 2. Eth. Nic. c. 3.*

17. Voluptas eſt operatio non impedita, promanans ab habitu, qui eſt ſecundum naturam. *Donald. l. 2 c. 7. Syn.* Eſtq; vel animi, vel corporis. *Ariſt. 7. Eth. c. ult.*

18. Voluptas animi *eſt, quæ ex perfectorum animi habituum actionibus profecta per ſe, abſq; dolore eſt jucunda.*

19. Voluptas corporis *eſt, quam naturali neceſſitati ſa-*

Digitized by Google

tati ſatiſfaciens ex recta rationis præſcripto corpus percipit.

20. *Quæſtionum, quæ hîc breviter decidendæ erunt, prima ſit:* An voluptas ſit operatio? *Reſp. Illud expreſſè affirmat* Ariſtoles *l. 7. Eth. c. 12. unde Donaldſonus definitionem th. 17. propoſitam deſumpſit; verùm non videtur ſibi conſtare, quia l. 10. c. 3. & 4. diſputat, voluptatem non eſſe motionem, cum tamen omnis operatio cum motu ſit conjuncta. Difficultatem hanc ut tollat* Magirus, *reſpondet l. 10. c 3. comm. Eth. ad lit. C. Etiamſi voluptas definiatur per ἐνέργειαν, id eſt, animi operationem, tamen non eſſe ipſamet operationem ſed potius accidens quoddam, quod perfectam operationem ſemper comitatur: imò ſemper cum ea eſt conjuncta, quemadmodum umbra comitatur corpus, & pulchritudo comitatur τὴν εὐεξίαν, id eſt, bonam corporis habitudinem & conſtitutionem, etiamſi ipſa umbra non ſit corpus, neq; pulchritudo ſit ipſa εὐεξία: Plauſibilis hæc eſt* Magiri *ſententia, quæ videtur fundata in ipſo* Ariſtotele *l. 10. Eth. c. 4. ubi hæc leguntur verba: Perficit actionem voluptas, non ut habitus quidam qui ineſt, ſed ut finis quiſpiam poſtea accedens veluti venuſtas iis, qui in flore ætatis ſunt. Nec ſimpliciter contemnenda eſt ſententia* Piccolominei *gr. 1. c. 17. quod nim. voluptas, quamvis non ſit propriè motus, ſit tamen motio ſubita, hoc eſt, terminus motus ex motu prodiens: Si tamen ἀκριβῶς in has ſententias inquiſiveris, ſcrupuli oborientur non exigui; quos ſi eximere volueris, Diſt: inter operationem virtutis & voluptatis: illa eſt immediata, hæc mediata: illa eſt cauſa, hæc effectum: Quando autem hæc illam dicitur perficere, intelligendum eſt 1. non cauſaliter ſed declarativè. 2. non reſpectu ſui ſed reſpectu noſtri.*

21. *Secunda:* Num amor ſit prior voluptate, vel contra? *Reſp. Diſt. inter voluptatem inchoatam & con-*

ſummatam: imperfectam in amoris origine,& perfectam in poſſeſſione & fine: Voluptas conſiderata in amoris origine,quæ conſurgit ex cognitione objecti ut boni ſibi & congruentis, eſt fons,parens & fomes amoris,amoremq; antecedit,ſi non prioritate temporis, ſaltem naturæ & ordinis; quatenus autem conſideratur in poſſeſſione & fine, amorem & attinentia ad eum perficit, atq; ſic amorem ſequitur. Conſulatur Piccolomineus *gr. 1. c. 21.*

22. Tertia: An voluptas quædam poſsit dici bona? *Aff. 1.* à cauſa: *Qualis cauſa,talis effectus. At voluptatis cujusdam cauſa eſt bona. Ergò quædam voluptas eſt bona. Aſſumptio probatur: quia habitus & actio virtutis eſt cauſa veræ voluptatis. 2.* à contrario. *Quicquid opponitur malo, id eſt bonum. Voluptas opponitur malo, nempe dolori. Ergò.* Ariſt. *l. 7. Eth. c. 13. De voluptatibus corporis in ſpecie obſerva,quod dicantur bonæ* μέχρι τοῦ *aliquatenus, (ita enim loquitur* Ariſt. *d. l. c. 14.) nempe ſi non excedunt modum & terminum, quem recta ratio præſcribit, & naturæ neceſſitas poſtulat. Quando verò modum hunc excedunt,non amplius dicuntur bonæ,quia exceſſus melioris eſt vitioſus quatenus nocet hominibus.*

23. Alter affectuum comes eſt, Dolor, qui eſt operatio ad id, quod eſt contra naturam,declinandum impellens. *Eſtq; itidem vel animi vel corporis. Ille animum internè; hic corpus externè afficit.*

24. *Quæritur:* An dolor ſit malum? *Reſp.* Ariſtoteles *l. 7. c. 13. primis verbis id affirmat: cui videtur reclamare ſcriptura, quippe quæ dolere permittit, ita tamen ut modus adſit: & exemplū habemus in ipſo Chriſto, qui Luc. 19. v. 41. prædicens urbis Hieroſolymitanæ excidium fleviſſe dicitur. Diſtinguēdū igitur inter Dolorē in ſe conſideratū, vel re-*

ſpectu

Digitized by Google

ſpectu objecti & cauſæ: *Dolor in ſe non eſt malus, ſed mali, reſpectu nimirum objecti, quod eſt malum & doloris cauſa. Malum, inquam, ſi non ſemper Ethicum, Phyſicum tamen.*

25. Adjunctum virtutis ſequitur, *nempe* Amicitia. *De hac agendum eſſe in Ethica eleganter deducit* Ariſtoteles *l. 8. Eth. c. 1. Potiſſima ejus ratio eſt, quod Amicitia omnium ordinum & ætatum hominibus ſit neceſſaria: Divitibus quidem 1. ad tutam divitiarum poſſeſſionem. 2. ad liberalem earundem communicationem. Pauperibus, ut habeant adverſus ſuam egeſtatem & miſeriam ſubſidium. Infantibus & pueris ad vitæ ſuſtentationem. Adoleſcentibus ad morum informationem. Juvenibus & viris ad deliberationem & rerum gerendarum executionem. Senibus ad ſenij ſublevationem & imbecillitatis refocillationem. Verbo: Amicitia eſt neceſſaria tanquam virtutis adjunctum ad ſummi boni adeptionem, ſive ad vitæ beatæ tranſactionem. Ergo de illa eſt agendum in Ethica.*

26. *Dubium hic movetur:* Utrum amicitia ſit virtus; an verò virtutis adjunctum? *Reſp.* Ariſtoteles *ſub initio octavi Eth. Nic. hic hærere videtur, dum inquit: Amicitia eſt virtus quædam, aut cum virtute: Sed quia è disjunctis unicum tantùm poteſt eſſe verum,* Ramus *l. 2. Logic c. 8. nos prius disjuncti membrum rejicimus, poſterius dextrè explicatum accipimus: idq; 1.* authoritate ipſius Ariſtotelis, *qui in catalogo virtutum moralium l. 2. c. 7. amicitiam non recenſet, ſed de ea poſt virtutum omnium explicationem tandem diſſerit. 2.* à contrario. *Virtutem poſſumus habere communem cum hoſte: Amicitiam non poſſumus cum hoſte habere communem. Ergo amicitia non eſt virtus. 3. Virtus eſt bonum internum. Amicitia eſt bonum externum. Ergo. Aſſumptio eſt* Ariſtotelis *l. 9. Eth. c. 9. Abſurdum videtur*

Digitized by Google

omnia bona beato attribuere amicos non tribuere: quod bonorum externorum eſſe maximum videtur. Obiter hic tamen notari poteſt: quod Amicitia partim inter externa, partim inter interna bona numerari poſſit: Inter interna quidem, dum conſideratur, ut ex virtute, ex noſtraq; praelectione pendet, & eſt affectio nos lætitia, animiq; tranquillitate perfundens; inter externa, ratione amici: in quem tendit, ex quo pendet, & ob quem à nobis demi poteſt. Breviter: Amicitia reſpectu amantis eſt internum bonum; reſpectu amati vel amandi externum.

27. Amicitia eſt mutua benevolentia minimè latens erga eos, qui amantur, animo concepta, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis alicujus gratiâ. Ariſt. *l. 8. Eth. c. 2.*

28. Definitur Amicitia primò per benevolentiam mutuam, quo docemur, ad amicitiam non ſolum requiri unius amorem, ſed etiam redamationem, quâ amatus amantem viciſſim redamet, atq; ſic uterq; utriq; mutuum amicitiæ fructũ reddat. Ex hoc perſpicuum etiam eſt diſcrimen inter Amicum & propinquum, quod nimirum ex propinquitate benevolentia poſſit tolli, ex amicitia minimè: ſublatâ enim benevolentiâ amicitiæ nomen tollitur; propinquitatis autem nomen manet: Amici igitur ſemper ſibi mutuo benè volunt; propinqui non item.

29. Sed quæritur: An amicitia ſit præferenda propinquitati? *Reſp. Propinquitas conſideratur vel abſtractivè, abſolutè & ſimpliciter ſine virtute, vel concretivè cum virtute: priori modo præfertur amicitia, quippè quæ præſupponit virtutem; poſteriori modo præfertur propinquitas, quia includit & amicitiam naturalem & moralem: contingere enim poteſt, ut frater fratri non tantùm amicus ſit, per natu-*

naturam & domeſticam aſſuetudinem; ſed etiam per & propter virtutem, adeò ut ſe mutuò diligant non tantum, tanquam fratres; verum etiam munere virtutis & morum.

30. *Quæritur itidem* 2. Anne ἀντιφίλησις in vera Amicitia requiratur? *Reſp. Affirm: Si enim amicitia poterit eſſe ſine ἀντιφιλήσει, tum ſequeretur, quod in amicitia odium poſſit locum habere, quod eſt abſurdum. Si objeceris locum ex Ariſt. l. 8. Eth. c. 8. de amore matrum in infantes, licet non redamentur: Reſpondeo diſtinguendo ex c. 5. ejuſdem libri inter* φίλησιν & φιλίαν, *amorem & amicitiam:* φίλησις *denotat nudum affectum erga rem aliquam, licet nos redamare non poſſit: hæc igitur cadit in matres, quatenus nõ redamantur:* φιλία *verò eſt quaſi habitus quidam firmus & conſtans, erga hominem aliquem certo conſilio & judicio ſuſceptus, & in hac requiritur* ἀντιφίλησις, *prout expreſſa ſunt Ariſtotelis verba l. 8. c. 5. ſub finem. Unde rectè veteres: Omnia amicorum ſunt communia. & Pythagorai:* ἡ φιλότης ἐστὶν ἰσότης.

31. *Quæritur* 3. An aliquis ſeipſum poſſit amare? *Reſp. Veram vera amicitia, ejusdemq́; officiorum originem & fontem,* φιλαυτίαν *ſive amorem ſui eſſe, probat Ariſtoteles l. 9. Eth c. 4. & 8. idem teſtatur ſcriptura: Diliges proximũ tuum ſicut te ipſum: & verbum vulgò quod dicitur: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Diſtinguendũ autẽ eſt inter* φιλαυτίαν *veram & falſam. Hæc eſt, quâ improbi cupiditatibus indulgentes, in voluptatibus & bonis externis modum excedunt, ex eoq́; amore ſe varijs ſceleribus contaminant, proindeq́; illicita: qua de veriſſimè* Plato: *Cæcus amor ſui ipſius omnium peccatorum cauſa eſt; Illa eſt, quâ vir bonus animum ſuum maximè amat, eumq́; optimis bonis excolere ſtudet, proindeq́; licita: quod probatur* 1. à natura proprij: *Cui convenit proprium, eidem etiam cõvenit id, cujus eſt proprium. Sed homini erga ſe ipſum*

 conve-

conveniunt omnia propria veræ amicitiæ officia. Ergo & ipſa amicitia: Minor probatur , quia homo ſibi ipſi benè vult, benè facit & conſentit. 2. à communi teſtimonio: Cum enim ſummam amicitiam nobis cum aliquo eſſe ſignificare volumus, dicere ſolemus, nos eum ita amare, tanquam noſmetipſos: cujus exemplum habemus in Æſchyno Terentiano, Act.4 ſc.5. Adelph. Dij me, pater, omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos. Sed hic facilè ſcrupulus cuipiam ſuboriri poſſet, quo pacto aliquis ſeipſum poſſit amare, cum amicitia requirat objectum à ſe diverſum: quem tamen facile eximet, ſi conſideraverit hominem vel externum vel internum, quatenus conſtat corpore vel anima, quæ rurſum ex duabus conſtat potentijs, rationali & irrationali: inter quas ſi fuerit conſenſus, vera etiam in homine erit amicitia. Dum enim præſtantiſſimam ſui partem amat, nempe mentem & rationem, eiq; per omnia obſequitur, & gratificari ſtudet: homo ſibi ipſi revera eſt amicus, ſibi ipſi benè vult, benefacit & conſentit, congaudet & condolet.

32. *Quæritur 4.* Utrum amicitia magis conſiſtat in τῷ φιλεῖν, quam in τῷ φιλεῖσθαι? *Reſp. Poſterius requiri probavimus th. 30. In priori tamen amicitiam magis conſiſtere probamus* 1. à parentum exemplo: *Impenſius enim amant parentes liberos, quàm liberi parentes, quin & non poſſunt parentes, quin ament liberos, licet nunquam ab his redamentur: inde illud ſynecdochicum; Amor deſcendit, non aſcendit.* 2. ab actionis proprio. *Semper actio eſt præſtantior paſſione, & virtus ipſa magis conſiſtit in actione quam paſſione. Ergò amicitiæ vis magis conſiſtit in amore activo quam paſſivo.*

33. *Definitur amicitia ſecundò per benevolentiam minimè latentem: id eſt, manifeſtam & apertam, quæ in verbis,*

factis

Digitized by Google

factis & officijs declaretur. Amici igitur non ſunt, qui aureos montes promittunt, & ne quidem plumbeos præſtant.

34. *Additur tertiò, quod propter illos debeat eſſe ſuſcepta qui amantur: quo amicitia diſtinguitur ab adulatione: Adulatores enim non propter amici commodum ſed propter proprium & privatum amant, & blandis verbis homines inescare atq; pecunia emungere noverunt optimè.*

35. *Quartò indicatur objectum:* φιλητὸν *amabile: Non enim amamus quamlibet rem, ſed tantùm eam quæ eſt amabilis, h. e. amorem ſui in nobis excitat. Eſt autem amabile triplex: Bonum, jucundum, utile.* Inde tres amicitiæ ſpecies: Honeſta, Jucunda, & Utilis. *Si libuerit* διχοτομεῖν, *ita progredere: Amicitia eſt, vel perfecta, quæ dicitur Honeſta: vel imperfecta ut jucunda & utilis.*

36. Amicitia honeſta eſt, qua viri boni ob virtutem ita ſe mutuo amant, ut alter nihilo ſe plus, quam alterum diligat. *Et hæc amicitia eſt ſtabilis & firma, 1. quia viri boni ſunt ſtabiles & firmi: Quam ob cauſam l.1.c.10. Ariſtoteles virum bonum comparat lapidi quadrato. Quemadmodum enim ille lapis quadratus difficulter movetur ex ſuo loco: ita etiam vir bonus non facile mutat propoſitum, aut dimovetur à ſua ſententia. 2. quia in amicitia virorum bonorum non habent locum vitia, quæ facilè poſſunt amicitiæ vinculum diſſolvere.*

37. Amicitia jucunda eſt, qua propter voluptatem plures inter ſe amore conjunguntur. *Hæc potiſſimũ colitur à juvenibus:* Ariſt. *l. 8 Eth. c. 3. Eſt igitur inſtabilis, 1. quia juvenum ætas eſt quovis vento mutabilior. 2. quia Juvenes varijs ducuntur affectibus.*

38. *Quæritur:* An amicitiæ fraternæ inter ſcyphos contractæ ſint habendæ ratæ? *Reſp. Diſt. inter a-*

micitias

micitias contractas ex levitate ob nimiam ebrietatem in loco potationis: quando contrahentes mente capti ſunt, nec veras amicitiæ cauſas, nec verum finem perpendunt, quales hoc ſęculo inveniuntur plurimi, qui in prima converſatione ſeu potius compotatione cum ſingulis ſine diſcrimine fraternas iſtas amicitias contrahere ſatagunt, ſub tuiſationis, ut vocant, teſtimonio: Tales amicitias contractas ipſi contrahentes ſequenti die, poſtquam crapulam edormiverunt, reddunt irritas, dum vel non recordantur, vel deteſtantur. Et inter amicitias maturo & deliberato conſilio propter honeſtatem & utilitatem, quæ ex mutua illa amicitia in nos redundare poteſt, contractas in loco converſationis, quæ probantur: 1. quia ſæpè contrahuntur ab eruditis etiam viris. 2. quia bonum reſpiciunt finem, ſtudiorum nimirum promotionem & officiorum communicationem. Tutius tamen eſt ut tales amicitias contrahamus ſobrij, quàm ebrij, ſic enim erunt firmiores.

39. Amicitia utilis eſt, qua propter quæſtum plures inter ſe amore conjunguntur. *quæ potiſſimum colitur à ſenibus, qui propter ſenile vitium, avaritiam nimirum, omnia ad quæſtum referunt: Eſt itaq; inſtabilis, quia diutius non durat quàm ipſe quæſtus: Et tales amici dicũtur amici ollares*, Küchenfreunde: *in quos cõmune quadrat proverbiũ: Dum fervet olla, vivit amicitia. Elegantem de talibus amicis lib. 2. Triſt. Ovidius nobis accinit verſiculum:*

Dum fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.

Sic ſibi eveniſſe conquerebatur Job. c. 6. v. 13. Ecce, inquit, non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoq; mei receſſerunt à me. Quare videamus, quales amicos eligamus, & quibus fidamus, & exoptemus paucos habere eosq; ſolidos & bonos, quam plurimos fucatos & malos.

COROLLARIUM.

An fraternitas & amicitia cum diverſæ religionis hominibus ſit alenda? D.

Digitized by Google

Collegij Ethici

DISPUTATIO SEPTIMA,

De

PIETATE,

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtpha.
S. S. Theol. Studioſi.

Defendendam ſuſcipit

CASPARUS HOLMANNUS Hervordiâ-Weſtph.

ad diem 18. Martij. horis pomeridianis, Loco conſtituto.

Virgilius.

Et meritò pietas homini tutiſſima virtus.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M.DC.XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I.

ATque ſic vidimus virtutes morales in genere, ſ reſtat nunc de ijsdem ut agamus in ſpecie. *Generalem igitur libet, quia licet, non novitatis ſtudio, ſed pietatis & reverentiæ debitæ zelo, proponere diviſionem talem*: Virtus refertur vel immediatè ad Deum, vel ad homines. Ad Deum quæ refertur, dicitur Pietas, *quâ de, ut & quæſtionibus Deo benignè nobis favente hac Diſputatione.*

2. *Propoſitum hoc ſi quis improbare voluerit, primò velim æquâ animi trutinâ trutinet juſtas propoſiti cauſas, quod ſi fecerit non dubitabo, quin illud ſit approbaturus, veniamq́; mihi facilimè daturus.*

3. *Prima eſt: quia Pietas eſt baſis & fundamentum omnium virtutum: Qui igitur eam negligit, fundamentatum ſine fundamento proponit, quin & perinde facit, ac ſi quis truncum ſine capite producit. Antecedens patet ex teſtimonio 1. ipſorum Ethnicorum, paßim in ſuis ſcriptis Pietatem præ cæteris virtutibus extollentium: Ita enim* Seneca: *Nulla vis major pietate verâ eſt.* Cicero *pro Planc. Pietas eſt fundamentum omnium virtutum. Qua ſublata fides etiam & ſocietas generis humani, & una excellentißima virtus juſtitia tollatur neceſſe eſt.* Idem *1. de natura Deor. 2. Pauli, 1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia utilis eſt.*

4. *Secunda: Si proponimus virtutes in proximum nos diſponentes, cur non multò magis proponenda virtus nos in Deum diſponens: procedit argumentatio à minori ad majus.*

5. *Tertia hæc eſt, ut poßit oſtendi differentia inter naturalem Dei notitiam & revelatam, item quousq́; Ethnici in Dei cognitionem inquirere potuerint: Fundata eſt hæc cauſa in Theſi 1. Diſp. 1. hujus Collegij.*

Digitized by Google

6. Pietas *igitur* eſt virtus, quæ immediatè circa Deum patefactum in creatione mundi & verbo Eccleſiæ tradito verſatur, ipſum rectè agnoſcendo & colendo.

7. Objectum *Pietatis eſt: Deus. Deut. 6. v. 13. Mat. 4. v. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Exo. 20. v. 2. Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me. Excluduntur igitur Angeli, ſancti, aliaq; creatura pura omnes, quo etiam veniunt nomine, quin & Idola manibus hominum ingenioſè & artificioſè picta & ficta.*

8. Requiſita *Pietatis ſunt duo: 1. eſt vera Dei notitia. 2. verus agniti Dei cultus.*

9. *Notitia Dei eſt duplex: una Naturalis, altera Revelata & Spiritualis: cognoſcitur enim Deus vel ex libro natura vel ex libro ſcriptura.*

10. *Notitia naturalis eſt, qua omnium hominum mentibus naturaliter eſt inſita, & colligitur ex operibus Dei, in creatione, & in veſtigiis illis Divinitatis, qua ſparſa ſunt in tota rerum natura.* Chemnitius *par. 1. L. C.*

11. Duplex igitur hujus notitiæ eſt principium: Prius eſt inſitum, *quando Deus ex notionibus mentis humana inſitis cognoſcitur, cujus manifeſtum teſtimonium legimus Rom. 2. v. 15. Quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum, ſimul atteſtante illorum conſcientia & cogitationibus inter ſe accuſantibus.* Poſterius eſt acquiſitum, *quo Deus ex effectis cognoſcitur. Rom. 1. v. 20. Qua ſunt inviſibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur. Act. 14. v. 15. 16. Deus in præteritis ætatibus ſinebat omnes gentes ingredi viis ſuis, quanquam non expertem teſtimonii ſeipſum eſſe ſinebat, dum beneficia*

confer-

Digitized by Google

conferret è cœlo nobis dans pluvias ac tempora fructifera implens cibo & lætitia corda noſtra.

12. *Acquiſitum hoc principium eleganter hunc in modum explicatur:* Noſter intellectus triplici viâ de rebus creatis ad Dei notitiam provehitur: 1. viâ eminentiæ, *quâ quicquid in creaturis eminet, Deo eminentiſſimo tribuitur gradu, omni imperfectione humanâ concurrente ſublatâ, ut cum vitam, ſapientiam, juſtitiam, quæ eſt in nobis, in Deo quoq; eſſe, ſed ſummo gradu, eſſentialiter & independenter, ratiocinamur.* 2. Viâ negationis, *quâ defectus creaturarum à Deo removemus, ut quod non ſit corruptibilis, mortalis, corporeus &c. Rectè enim monet* Auguſtinus: *Si non potes invenire, quid ſit Deus, piè tamen caveas de eo ſentire, quod non eſt.* 3. viâ cauſationis, *quando ex effectis ſeu creaturis Dei mens humana elevatur, ad ipſum Deum, tanquam cauſam cognoſcendam inde Pſ. 18. Cœli enarrant gloriam Dei.*

13. Notitia Spiritualis ſeu revelata *eſt, qua Deus ex libro ſcripturæ, in quo Deus quoad eſſentiam & voluntatem ſuam ſeſe ſufficienter manifeſtavit, illamq; manifeſtationem illuſtribus miraculis confirmavit.*

14. *Circa hac quæritur.* 1. An Deus ex lumine naturæ poſſit cognoſci ratione ſuæ eſſentiæ? *Pro negativa ita argumentamur: Nemo novit Filium niſi Pater, & nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Mat. 11. v. 27. Revelat autem Filius tantùm per ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam. Ergò. 2. Purus & merus Articulus fidei creditur fide, non intelligitur ratione. Atqui arduum hoc myſterium eſt purus & merus fidei articulus. Ergò. 3. Habemus confitentem Simonidem, qui, referente Cicerone l. 1. de Nat Deor. explicaturus regi Hieroni, quid ſit Deus, poſtquam jam dies aliquot ſecum deliberaſſet, tandem dixit.*

Quantò magis cogito tantò minus intelligo, quid ſit illud, quod vocamus Deum, & Platonem: Quid Deus non ſit, ait, video, quid autem ſit non intelligo. Statuimus igitur cognitum hoc myſterium ex libro ſcripturæ poſſe Chriſtianos ex libro naturæ illuſtrare, ſed nullo modo eruere & demonſtrare.

15. *Quæritur 2.* Quousq; igitur Deus ex lumine naturæ cognoſcatur? *Deum ex libro naturæ cognoſci poſſe probavimus th. 11. & 12. Et cognitum eſſe probant ipſiſſima Ethnicorum teſtimonia.* Plauti: *Eſt profectò Deus, qui quæ nos gerimus auditq́; & videt.* Ovidij. *1. Art.*

Expedit eſſe Deos, & ut expedit, eſſe putemus,
Dentur in antiquos thura, merumq; focos:
Nec ſecura quies illos, ſimilisq; ſopori
Detinet, innocui vivite: Numen adeſt.

& demum Ciceronis *1. de Leg. Nulla gens eſt, neq; tam immanſueta, neq; tam fera, quæ non etſi ignoret, qualem Deum habere debeat, tamen habendum ſciat. & 1. Tuſc. Firmiſſimum hoc adferri videtur, cur Deos eſſe credamus: quod nulla gens tàm fera, nemo omnium tàm ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Verba igitur Pſalmiſtæ Pſ. 14. v. 1. Dixit impius in corde ſuo, non eſt Deus: intelligenda ſunt, non de naturæ conditione, ſed de malitiæ affectu. Confer Tit. 1. v. 16. Confitentur, ſe noſſe Deum. factis autem negant, cum ſint abominabiles & inobedientes, & ad omne opus bonũ reprobi.*

16. *Ad quæſtionem ipſam reſpondemus: Ethnicos potuiſſe ex lumine naturæ cognoſcere* 1. *quod ſit Deus: Hoc enim in conceptu non errârunt, licet in conceptus applicatione erraverint: juxta illud Act. 17. v. 23. Inveni aram, inquit Paulus, in qua ſcriptum erat,* IGNOTO DEO, *quem ergò ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis &c. 2. Quod ſit colendus: Uunde nonnulli ex ipſis Præcepta de Pietate propoſuerunt,*

ſuerunt, quis tamen ſit cultus ille ignorarunt. 3. quænam ſit voluntas Dei in ſecunda Decalogi tabula expreſſa, unde docuerunt: Neminem eſſe lædendum, jus ſuum cuiq; tribuendũ &c. 4. Quid ſit, non ratione eſſentiæ, ſed reſpectu quorundam attributorũ, quæ ex mirabilibus Dei effectis potuerũt cognoſcere.

17. *Quæritur* 3. Anne naturalis iſta notitia ad ſalutem ſufficiens? *Sunt ex Calvinianis qui ſaniores Ethnicos virtute præſtantes ſalvatos pronunciant, quorum ſententia impia eſt & blaſphema: quia 1. Verum Deum ignorarunt. Act. 17 Ergò non potuerunt ſalvari, juxta illud Joh. 17. v. 35. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. 2. fide ſalvifica deſtituti ſunt, ſine qua placere Deo impoſſibile eſt. Heb. 11. Et quicquid extra eam eſt peccatum eſt. Rom. 14. 3. Quia non eſt in alio quodam ſalus, quàm in Chriſto Jeſu, nec alıud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Act. 4. v. 12. Ergo notitia iſta naturalis non ſufficit. 4. quia fuerunt extra Eccleſiam, extra quam nulla ſalus Joelis 2. v. 32. Eſa. 37. v. 32 Unde Auguſt. Non poteſt Deum in cœlis habere patrem, qui non habuerit Eccleſiam in terris matrem. Item: Quemadmodum duo nos parentes ad mortem genuerant, Adam & Eva, ſic nos duo ad vitam beatam gignunt, Chriſtus & Eccleſia. Memores igitur erimus effati (ſunt verba* Dn. D. Affelmanni, *Præceptoris mei honorandi, in Syllabo Diſp. 2. q. 2.) Viti Winshemij Senioris in Academia Witebergenſi quondam:* Cavete vobis auditores à cœlo Zvinglianorum, Ego non libenter in cœlo iſto Zvinglij vivere optarem: Valdè enim mihi metuerem à clavâ Herculis.

18. *Alius igitur notitiæ illius naturalis eſt finis, isq; triplex; 1. ut externa diſciplina honeſtè præſtari poſſit, Rom. 2. v. 2.*

2. v. 2. 2. ut ſit quædam quaſi manuductio ad quærendum verum Deum, cultumq; ipſi præſtandum, Act. 17. v. 23. 3. ut reddat homines in noviſſimo die inexcuſabiles, Rom. 1. v. 20.

19. 4. Non inconvenienter hoc loco quæſtio hæc deciditur: An virtutes Ethnicorum ſint peccatum? *Quæſtio hæc ut decidatur variæ à varijs adhibentur diſtinctiones, eò tamen omnes collimantes, illas virtutes in ſe materialiter quoad ſubſtantiam facti conſideratas, eſſe verè bonas & non peccatum; per accidens autem fieri malas ſive peccata, quia non proficiſcantur ex vera cauſa formali & finali: In judicio igitur Dei haberi pro peccatis 1. Quia carent cauſa formali, intellige extrinſecâ, quæ eſt fides. 2 non ſunt conjuncta cum interna obedientia. 3. non referuntur ad finem principalem, ſc. ad gloriam Dei. 4. quia multis defectibus & peccatis adhuc ſunt contaminata, quæ ipſis, utpote Chriſtum ignorantibus, non remittuntur.* Breviter: *In actione virtuoſa non renati duo ſunt conſideranda, 1. id, quatenus cum lege Dei illa actio conſentit, quam cordi inſcriptam habet. 2. eſt defectus tali actioni adhærens, quod ea vel non ad gloriam Dei dirigebatur, vel non ex verâ fide proficiſcebatur.*

20. Hæc de primo Pietatis requiſito; ſequitur alterum, quod eſt verus veri Dei agniti cultus. Eſa. 42. v. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.*

21. Cultus Dei eſt vel internus cordis, vel externus oris. Internus *eſt Timor Dei, Fides, Dilectio, Spes, de quibus conſulantur libelli Catechetici. Nervosè cultum Deo debitum expreſſit Micheas c. 6. v. 8 Indicabo tibi, ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtiq; facere judicium, & diligere miſericordiam, & humiliter ambulare cum Deo tuo. Lutherus p. m. ita emphaticè vertit:* Nemlich

Gottes/

Gottes wort halten/ Liebe vben / vnd demütig ſein für dei-
nem Gott/ *Saxones tribus L. L. L. exprimere ſoliti ſunt* : Lö-
uen/ Leuen/ Lyden.

22. Externus *eſt confeſſio : utrumq; conjungit Paulus, Rom. 10. v. 9. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam : ore autem fit confeſſio ad ſalutem. ut & Propheta Regius Pſ. 116. v. 10. credidi, propter quod locutus ſum, confer 2. Cor. 4. v. 13.*

23. *Confeſſio autem hac externa (quod contra Eſavitas & Majoriſtas notetur) non habet rationem cauſæ, ſed effecti: non requiritur tanquam cauſa conſtituens, ſed tanquam adjunctum conſequens.*

24. Ὁμολογεῖσθαι *itidem, quod Lutherus reddidit*, bekennen/ *ſtylo Apoſtolico ſignificat verbum Dei perpendere, corde & ore profiteri & confiteri, ſive id facias tecum ſolus, ſive alijs præſentibus. vide 1. Joh. 4. v. 2. & 3. 2. Joh. v. 7. Hebr. 3. v 1.*

25. *Ad cultum externum referuntur 1. ceremoniæ pro temporum ac locorum ratione in Eccleſiam introductæ, hoc fine, ut illa ædificetur. & omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant. 1. Cor. 14. v. 40. 2. Inſtrumenta Muſica, quibus Deus legitimè colitur.*

26. *Circa alterum hoc requiſitum quæritur. 1,* An aliquis poſſit cogi in negocio Religionem & conſcientiam concernente? *Reſp. De facto hoc ipſum multis in locis noſtræ etiam laudatiſſimæ Germaniæ fieri docet proh dolor experientia; jure fieri non debere probat ratio & ſcriptura : Ratio quidem 1. à* minori ad majus : *Magiſtratus non habet ſimpliciter poteſtatem vitæ & necis temporalis in ſubditos: Ergò nec Spiritualis & æternæ. Ergò nec habet poteſtatem cogendi ad aliam religionem : Cui enim non licet, quod eſt*

minus, ei utiq; non licet, quod eſt majus: Pluris autem eſt religio quam vita, pluris æterna beatitudo, quàm temporalis. 2. ab impoſsibili. *Religio eſt res merè Spiritualis. Ergò ab externa merè naturali non poteſt nec conferri nec auferri: Et p.c. ad illam vi externâ nemo poteſt cogi.*

27. *Scriptura evidentiſsimè idipſum demonſtrat, modum & metam, quam transgredi nefas, in obedientia Magiſtratui præſtanda nobis præſcribens. Mat. 22 Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Deo, quæ ſunt Dei. Obediendum igitur eſt Magiſtratui, ſed usq; ad aram, ad aram, inquam, Pietatis & conſcientiæ, quia magis Deo quam hominibus obediendum, Actorum 4.*

28. Conſilium ſi quæris, quid tibi faciendum, ſi fortè cogereris? *En habes bonorum exemplum, quo tibi id licere, quod illi fecerunt, puta. Imitarè tres illos viros, Nabuchodonoſori animo præſenti contradicentes, Dan. 3. Danielem ipſum, Deo ſuo vero adhærentem. Dan. 6. viduam illam & ſeptē ejusdē filios, Dei mādata ingratiam Antiochi non transgredientes. 2. Mach. 7. obſtetrices Ægyptiacas Pharaoni impia mandanti morem non gerentes, Exod. 1. Quin & fuga tibi conſule, ſi res adhuc ſit integra, prout ipſe Chriſtus, ut nobis exemplum relinqueret, ipſe fecit & facere mandavit Mat. 10. v. 23. Quum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.*

29. *Quæritur 2.* Anne igitur Religionis occultatio periculo vitæ imminente ſit licita? *Religionem occultare leviuſculum eſſe peccatum opinantur multi hoc tempore Politici, qui aliam in mento quam in mente fovent doctrinam, ſaltem ut placeant. Quos notare velim graviſsimam hanc & ſeveriſsimam Chriſti ſententiam, Matth. 10. v. 33. Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo*

tre meo qui in cœlis eſt. Caveamus igitur ne hoc modo conſcientiam noſtram lædamus, ejusq́ morſus in agone mortis conſtituti ſentiamus.

30. *Quæritur* 3. An Muſicæ inſtrumentalis uſus non tantum ad politica; verùm etiam ad divina ſeſe extendat? *Themiſtocles, inquit Cic. l. 1. Tuſcul. quæſt. cum in convivio recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior: Mirum igitur Calvinianos illam recuſare, quippe qui videri volunt ingenioſiſſimi & doctiſſimi; Nos utrumq́ quæſtionis affirmabimus membrum: Et quod concernit uſum politicum, ſtatuimus: In conviviis honeſtis Muſicam inſtrumentalem recreationis ergò piè poſſe adhiberi: Ratio aſſertionis ſit hæc 1. Quicquid ad honeſtam recreationem honeſtè facit, illud nemo honeſtus reprehendit. Atqui Muſica inſtrumentalis facit honeſtè ad honeſtam recreationem. E. Convivium enim inſtituitur recreationis ergò, cui etiam aliquid temporis dandum, quia verum eſt illud Poëtæ:*

Quod caret alternâ requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaq; membra levat.

31. *2. Cujus ſacra ſcriptura quoad uſum politicum meminit, nullibi autem neq; in genere neq; in ſpecie refutat, illud ſuo genere res mala non poteſt dici, ſed potius indifferentibus actionibus, quas licet facere vel intermittere, annumerandum. Atqui Chriſtus ipſe meminit in uſu politico ipſius Muſicæ. Luc. 7. v. 32. E.*

32. *In divinis etiam Muſicæ inſtrumentalis uſum eſſe ſufficienter ſacræ literæ teſtantur; videatur Pſal. 33. v. 2. Pſa. 150. v. 7. 2. Paral. 5. v. 12. Exo. 15. Addo hanc quam memini à Clariſſ. D. D. Aſſelmanno in publicis Pſalmorum prælectionibus adductam rationem: Quicquid Eccleſia V. T. fecit ob moralem finem, & non typicum, illud Eccleſia N. T. rectè retinet.*

Digitized by Google

tinet. At Eccleſia V. T. uſum tubarum ſervavit propter finem moralem, non typicum. Ergò. Modus tamen eſt in Muſica inſtrumentalis uſu adbibendus, & primariò ad gratiarum actionem corde & ore reſpiciendum: veriſſimum enim eſt & illud:

Non vox ſed votum, non muſica chordula, ſed cor,
Non clamor, ſed amor cantat in aure Dei.

33. *Quæritur ultimo loco:* Quomodo virtutes Ethicæ à Theologicis differant? *Reſp. Virtus conſideratur dupliciter: 1. ratione formæ internæ ſive informantis, de qua prolixè egimus Diſp. 5. th. 31. 32. 33. 34. 2. ratione formæ externæ ſive aſſiſtentis, Fidei nim:* Vel: *Virtus conſideratur 1.* νομικῶς, *legaliter, prout eſt opus rectum & laudabile. 2.* εὐαγγελικῶς, *prout eſt opus Deo placens: Quatenus igitur virtutes Ethnicorum & Chriſtianorum conſiderantur legaliter ratione formæ internæ non differunt ſpecie, ſed quatenus conſiderantur Evangelicè ratione formæ externæ.*

COROLLARIA.

1. Logicum: *An propria poſſint communicari? A.*
2. Rhetoricum: *Communes Tropi affectiones à Talæo l. 1. Rhet. c. 2. conſtituuntur tres:* κατάχρησις, ὑπερβολή, καὶ ἀλληγορία.
3. Grammat. τὸ adverſum *non ſemper eſt adverſum.*
4. Politicum: *Actiones fraudulentas Politici æquivoci minùs politè politicas nominant.*

Digitized by Google

Collegij Ethici

DISPUTATIO OCTAVA,

De

FORTITUDINE ET TEMPERANTIA,

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academia

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ, Lemgoviâ-Weſtphali SS. Theol. Studioſi.

Publicè defendendam ſuſcipit

JOHANNES RANDOVIUS Pölenia-Megapolit.

ad d. 13. Junij, horis à 7. matut. in Collegio Unicornis.

Plautus in Pſeud.

Stultitia eſt facinus magnum, timido cordi credere.

ROSTOCHIJ

Per Auguſtinum Ferberum, Anno M. DC. XVIII.

Digitized by Google

THESIS 1.

VIrtutis moralis ad homines relatæ variæ circumferuntur diviſiones, quas magno numero Piccolomineus *grad.* 4. c. 25. 26. *enarrat, & maximam partem refutat, propriam opinionem c. 27. 28. ſubjiciens: quam ſi ſub incudem revocaveris, omni ex parte limatam & politam vix dixeris. Nos anxiè in accuratam diſtributionem hac vice non inquiremus, neq; ſimplicis neceſſitatis (licet alicujus difficultatis) eſſe judicamus, ut ad ipſas virtutis moralis ſpecies per ſubdiviſiones perveniamus. Quare malumus virtutes generaliter cum* Philoſopho *l. 2. Eth. Nic. c. 7.* διαγράφειν *quàm* διχοτομεῖν.

2. Διαγραφὴ *igitur ſive delineatio, cujus ductum in ſequentibus ſequemur, hæc eſto.* Virtutes morales ab Ariſtotele d. l. numerantur undecim: 1. Ἀνδρεία Fortitudo. 2. Σωφροσύνη, Temperantia. (*quæ hoc habent commune, ut utraq; corpus reſpiciat, illa pericula, hæc ſenſus corporis*) 3. Ἐλευθεριότης, Liberalitas. 4. Μεγαλοπρέπεια, Magnificentia. (*quæ duæ circa ſūtus verſantur, illa circa parvos, hæc magnos.*) 5. Μεγαλοψυχία, Magnanimitas. 6. Modeſtia. (*hæ verſantur circa honores, hæc parvos, illa magnos*) 7. Πρᾳότης, Manſuetudo, *quæ moderatur iras.* 8. Ἀλήθεια, Veritas. 9. Εὐτραπελία, Urbanitas *ſive feſtivitas. 10. nomine improprio vocatur* Φιλία, Comitas *ſive Affabilitas.* (*hæ tres in ſermonum actionumq; ſocietate verſantur, unde vocantur homiliticæ.*) 11. Δικαιοσύνη, Juſtitia. *De his ſpecialius, eo quo hic enarrata, ordine inſequentibus, & quidem hâc diſputatione de Fortitudine & Temperantia.*

3. *Fortitudini cum Ariſtotele ſuo jure primum tribuimus locum, quia hæc maximè circa ardua & difficilia (id quod proprium virtutis,* Ariſt. *2. Eth. c 3.) verſatur, reliquasq; virtutes acriter ab hoſtium inſultibus defendit: unde tam*

nobile nomen eidem impoſitum eſt, ut Ἀνδρεία *à Græcis dicatur,* ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς *, à viro, per notat. ex ſubjecto excellentiori, quia fortitudo eſt viri magis propria virtus: cadit etiam in mulieres, ſed rarius, adeò ut milites animi abjecti effœminati communiter vocentur.*

4. *Sumitur autem vocabulum Fortitudinis 1. pro robore corporis, & ſic non eſt virtus morum, ſed natura. 2. pro quorumcunq; periculorum contemptu. 3. pro virtute res magnas in ſuſceptione periculorum gerente cum rectâ ratione, ut hoc loco.*

5. Fortitudo *igitur* eſt virtus moralis mediocritatem ſervans inter timorem & audaciam. *Ariſt. 3. Eth. c. 6. Vel:* Fortitudo eſt virtus mediocritatem ſervans in ijs rebus, quæ vel fiduciam vel terrorem in periculis honeſtatis & publicæ utilitatis cauſa adeundis & perferendis adferre poſſunt. *quæ definitio colligi poteſt ex Ariſt. 3 Eth. c. 6. 7. 8.*

6. Objectum fortitudinis *eſt vel internum vel externum: Internum ſunt Affectus: metus & fiducia. Externum ſunt formidabilia* φοβερὰ *, & fiducialia ſive audenda* θαῤῥαλέα *, Ariſt. c. 6. maximè tamen formidabilia, c. 9. l. 3. quia in his vis fortitudinis magis poteſt conſpici, ſiquidem viri fortis proprium eſt, ut ſit* ἀτάραχος*, & vir fortis à perferendis rebus acerbis nominatur. Accedit, quod difficilius ſit ferre & ſuſtinere ea, quæ terrorem incutiunt, quam quæ fiduciam adferunt: quemadmodum difficilius eſt labores & moleſtias perferre, quàm à jucundis rebus abſtinere.*

7. *Quæritur inde:* An fortitudo ſit res moleſta? *Reſp. Fortitudo conſideratur dupliciter, vel reſpectu finis, vel reſpectu mediorum ad finem perducentium: Quod ad finem attinet, ille jucundius eſt, quia honeſtas in ſe habet veram jucundi-*

jucunditatem; media verò quandam præ ſe ferunt moleſtiam, quia actiones, per quas finem propoſitum conamur conſequi, ſunt moleſtæ. 2. Diſt. inter finem & objectum: Fortitudo ratione finis eſt plena lætitiæ & jucunditatis; ratione objecti eſt plena moleſtiæ & difficultatis. Idem igitur accidit viro forti, quod gladiatoribus & pugilibus, quibus certè moleſtæ ſunt plagæ, tumores, vulnera; victoria verò & præmia longè jucundiſſima: inde quàm rectiſſimè Plautus *in Aſinaria: Fortiter malum qui patitur idem poſt potitur bonum. &* Mimus: *Feras quod lædit, ut quod prodeſt perferas. nec minus inconcinnè* Plutarchus: ἐὰν μέλι ζητῇς, κέντρον μελίττων φέρε, *Apium ſtimulos feras neceſſe eſt, mel ſi petas.*

8. Quæritur 2. An fortis etiam quædam timere debeat? *Reſp. Formidabilia, circa quæ Fortitudo dicitur occupata, ſunt determinanda, nec nimis latè ad quævis mala extendenda. Quædam enim mala ab omnibus hominibus indifferenter ſine diſcrimine ſunt metuenda, quia ea metuere eſt honeſtum, & non metuere turpe: e. g. Debemus metuere Dei offenſionem & iram, patriæ calamitatem, religionis & libertatis amiſſionem, noſtri & noſtrorum dedecus & infamiam. Animadvertendũ eſt, inquit* Caſus *l. 3. ſpec. mor. c. 6. p. 189. fortis animũ & pectus non ita in callũ aut ferrum obduruiſſe, ut nullo timoris ictu cõcuti aut emolliri poſſit; imò* permulta ſunt quæ fortis timere debet, *ut infamia, cœli fulmina, naufragia, injuſta vincula, aliaq; his ſimilia,* in quibus viribus non datur locꝰ: *Alij magis diſtinctè ex c. 7. l. 3. Eth. Ar. ita progrediuntur, ut diſtinguant inter formidabilia: quorum quædam ſunt* ὑπὲρ ἄνθρωπον, *ſupra hominem, quæ nimirum majora ſunt, quàm ut poſſint aut debeant ab homine ſanâ mente prædito contemni; quædam* κατ᾽ ἄνθρωπον *ſecundum hominem, & hæc vel ſimpliciter metuuntur, ut dedecus & infamia, & quæ cum*

 his ſunt

bis ſunt conjuncta: vel ſunt indifferentia, quæ metui & non metui poſſunt ſine dedecore, ut captivitas, exilium, paupertas, morbus, ſubintellige, ſi præter noſtrum meritum aut culpam nobis eveniant. Præter hæc alia ſunt quæ cum ratione metuuntur, inter quæ eminet mors bellica, Fortis enim dicitur is, qui morte honeſta propoſita, iisq; omnibus, quæ cum ſint repentina, mortem adferunt, metu vacat. Ariſtot. *l. 3. c. 6.*

9. Objectum igitur fortitudinis proprium eſt, mors, (*quia mors eſt omnium malorum maximum, & proinde omnium terribilium terribiliſſimum) non naturalis, (quando homo vel morbo vel ſenio extinguitur) non fortuita, (cum per adverſum caſum aut ex naufragio, incendio, ruina, aliquis moritur) non violenta; (cum aliquis à latronibus aut tyrannis interficitur, aut ſibi ipſi mortem conſciſcit) ſed* bellica & militaris, *quando aliquis occumbit in acie, pugna & prælio adverſus hoſtem ſuſcepto: hæc enim quia in periculo honeſtiſſimo propter defenſionem patriæ, parentum, conjugum &c. oppetitur, honeſtiſſima cenſetur.*

10. In periculis tamen hiſce adeundis obſervetur 1. ut honeſta & cauta ſit aggreſſio, ubi requiritur cunctatio & conſultatio, juxta illud Terent. Act. 4. ſ. 7. Eun. *omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet. 2. ut firma ſit animi obfirmatio, ubi requiritur maſcula perſeverantia, ne natura leonis exuatur & leporis induatur. Quam in rem eleganter* Auguſtinus: *Qui verâ virtute fortis eſt, nec temerè audet, nec inconſultè timet. Nobile hujus rei exemplum prodit* Plutarchus in Apophteg. Lacon. *Ageſilaus*, inquiens, *Rex ſciſcitatus, utra virtus eſſet præſtantior, fortitudo an juſtitia? graviter reſpondit. Fortitudinis nullum eſſe uſum, niſi adſit juſtitia. Quod ſi omnes eſſent juſti, nihil opus foret fortitudine. En animum ſummo dignum duce, qui nihil præter æquum judicarit faciendum?*

11. Quæ-

Digitized by Google

11. *Quæritur hic* 1. An fortis dicendus qui ſibi ipſi mortem conſciſcit? *Reſp.* Αὐτοφονίαν *ab Ethnicis quam plurimis tanquam egregiam & inſignem fortitudinem celebratam eſſe teſtantur eorundem ſcripta*; Ariſtoteles *autem l 3. c. 7. illam fortitudinem eſſe negat, & mavult appellare animi mollitiam, & illos, qui ſibi ipſis violentas manus inferunt, mavult appellare molles & deſperantes quam fortes, quia ex impatientia & non boneſtatis gratiâ mortem oppetunt, quod eſt proprium fortitudinis: Honeſtatis cauſa, inquit, fortis fert, facitq; ea, quæ congrua ſunt fortitudini. Theologus ille incomparabilis* Chemnitius *in parte 2. L. C. in expli. quinti præcepti ex* Auguſtino *octo enarrat* αὐτοφονίας *cauſas, quarum nulla ad excuſandã* αὐτοφονίαν *ſufficiens: Simpliciter igitur pro quæſtionis negativa pugnamus* 1. *à* definitione Fortitudinis. *Fortitudo obſervat medium inter timorem & audaciã.* Αὐτοφονία *non obſervat, peccat enim in defectu. Ergò.* 2. à minori ad majus. *Qui corpori non parcunt, carpuntur, Coloſ. 2. v. ult. Ergò multò magis carpendi illi, qui ſe ipſos interficiunt.* 3. à Teſtimonio divino. *Exod. 23. Non occides hominem. Ergo nec teipſum. Rectè enim* Auguſtinus: *Qui ſe occidit, utique hominem occidit, & multo minus parcet alteri, qui ſibiipſi manus infert: quia ſcriptum eſt, diliges proximum ſicut teipſum. Et notabile eſt exemplum 2. Reg. 1. v. 15. quod juvenis, qui narrat ſe Sauli ex mandato ipſius manum intuliſſe, jubetur occidi.* 4. ab effectis: *Qui peccat contra naturam, contra leges civitatis, contra Dei Majeſtatem, ille non poteſt verè dici fortis. Atqui* αὐτοφόνος *ita peccat: naturam enim confodit, civitatem offendit, leges violat, ignominiam nominis poſteritati relinquit, Deo (qui vitam dedit) diffidit, & illum ad vindictam excitat. Ergo. Si objicere volueris exemplum Raziæ ſe ipſum interficientis, ex 2. Maccbab. 14. v. ult.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Teſtimonium eſſe ex libro Apocrypho, & proinde fidem non facere: Quod autem attinet exemplum Samſonis, quo de legimus Judic. 16. v. 30. illud eſt ſingulare. Ergo non conſtituit regulam univerſalem. 2. Samſon non erat perſona privata ſed publica, judex nimirum populi Dei, cum ergo intelligeret, non ſibi tantùm ut capto illudi, ſed ipſi Deo, petijt à Domino, à quo habebat mandatum publicæ vindictæ, ut poſſet ulciſci inimicos. 3. Samſon fuit typus Chriſti, qui moriendo debebat mortem deſtruere. Oſe. 13. v. 14. Factum igitur eſt ex occulta Spiritus S. inſpiratione, ut plures occideret moriens, quàm interfecerat vivens.

12. *Quæritur 2.* An Chriſtiani ſalvâ & illæſâ conſcientiâ poſſint gerere bellum? *Reſp. Læta pace etſi nihil dulcius & utilius, triſti autem bello nihil acerbius & pernicioſius, juxta illud Joel. 2 v. 3. Ante bellum terra eſt, quaſi hortus voluptatis, poſt vero ſolitudo deſerti. adeò ut cum* Virgilio *exclamare poſſimus: Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes: tamen pax optata quàm ſæpiſſimè friget, bellum verò minimè bellũ maximè viget, ut etiã Chriſtiani nõ poſſint, quin nolentes volentes ad arma confugiant, ſeq́ ab hoſtiũ impetu defendant: Idq́ illæsâ fide fieri poſſe probamus 1.* ex Dei mandato: *Exod. 17. v. 9. 14. Joſ. 1. ſqq. c. 10. & 11. Iud. 6. v. 14.* 2. à piorum exemplo: *Abrahami, Gen. 14. Moſis, Exod. 17. Gedeonis, Jud. 6. Davidis 1. Sam. 17. 2. Sam. 5. Ezechiæ, 2. Reg. 18.* 3. ex alijs ſcripturæ locis militiam approbantibus. *1. Cor. 9. v. 7. Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? Matth. 8. à Chriſto laudatur centurio. Act. 10. à Petro Cornelius: unde etiam corruit univerſalitas triti illius verſiculi: Nulla fides, pietaſq́ viris, qui caſtra ſequuntur. Chriſtianus igitur poteſt bona conſcientia gerere bellum, idq́ defenſivum, non offenſivum: ſuſcipienda enim bella ſunt, ut in*

pace

Digitized by Google

pace ſine injuria vivatur, *inquit* Cicero. *Nec quæritur ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. Eſto ergo bellando pacificus: ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas*, Auguſt. *Et hæc Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitia eſt.* Ambroſ. *Quare cavebunt Reges & Principes, ne bella gerant offenſiva & impia, ne in his vel ipſi pereant, vel maximam ſtragem exercitus ſui patiantur; Si verò defenſiva fuerint ſuſcipienda, primùm hoſti pacem offerant Deut. 20. v. 10. quam ſi reſpuit, forti animo pro aurea libertate, regione & vera religione Dei freti auxilio pugnent, & prævalebunt, quia Deus pro ipſis dimicabit. Si enim bona fuerit cauſa pugnantis*, *inquit* Bernhardus, *pugnæ exitus malus eſſe non poteſt: ſicut nec bonus judicabitur finis, niſi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit.*

13. *Quæritur 3.* An ſtratagemata bellica ſint licita? *Reſp. Conſilio, inquit Salomon Proverb. 20. v. 18 tractanda ſunt bella: & ſalus erit, ubi multa ſunt conſilia, c. 24, v. 6. De bellicis igitur negocijs in caſtrenſi Senatu prudenter deliberandum, & quæ conſultiſsima videntur ad hoſtem vincendum media, eligenda; inter hæc non poſtremum locum obtinere videntur ſtratagemata, quorum beneficio ſæpius fit, ut vel nihil vel parum ſanguinis profundatur. Stratagemata autem eſſe licita probatur 1.* ex natura, *quæ ſuadet, ut quisq; ſe ſuamq; patriam defendat, quocunq; poſſit modo, ſalva tamen fide & integra dignitate.* 2. ex ſcriptura *1. Joſ. 8. v. 3. & ſeqq. Judic 20. v. 29. & ſeqq. Rectè igitur* Auguſtinus: *Quum juſtum bellum ſuſcipitur: utrum apertè pugnet quis, an ex inſidijs, nihil ad juſtitiam intereſt? Dominus enim Joſuæ mandavit, ut habitatoribus Hai inſidias poneret.*

14. *Quæritur 4.* An vir fortis potius fugâ ſibi de-

beat con-

conſulere, quàm mortem oppetere? *Reſp. Diſtinguendum inter fugæ effectus: Aut enim ex fortis fuga ſequitur exercitus Reipublicæ, Religionis & honeſtatis lapſus; aut ſalus. Si ruina & lapſus, mortem potius quàm fugam expetat: ne infamiam ſibi attrahat, leges legitimas violet, Rempublicam deferat, Religionem prodat; ſi medela & ſalus, fugam arripiat. turpe enim eſſet mortem oppetere, ſi plus commodi ex ejus vita, quàm morte Reſp. ſit habitura. Quare* qui fugit, ad pugnas ille redire poteſt.

15. Extrema Fortitudinis ſunt, Audacia θρασύτης & Timiditas δειλία. *Ariſt. 3. l. c. 7.*

16. Audacia *eſt nimia fiducia in periculis ſubeundis: ex arrogantia quadam ſine ratione. Hoc qui laborant vitio rectè vocantur θρασύδειλοι. ſunt enim partim arrogantes, partim timidi, & licet revera ſint timidi, id quod planum ex eventu, videri tamen volunt bellicoſiſſimi, idq; in inſtructione. Exemplum Audaculi habemus in Thraſone, apud Ter. a. 4. ſ. 7. Eun.* Tu hoſce inſtrue, *inquit Thraſo*, hic ego ero poſt principia: inde omnibus ſignum dabo. *Reſpondet Gnatho:* Illuc eſt ſapere; ut hoſce inſtruxit, ipſus ſibi cavit loco.

17. Timiditas *eſt vitium, quo animus in periculis nimium conſternitur, adeò ut nihil illorum quæ ſunt paria viribus audeat aggredi aut ſuſcipere. Ubi non intelligitur Timiditas τῆς φύσεως, natura; ſed τῆς ἕξεως longo uſu in pravum habitum contracta quin & indurata. Timidos latini vocant ignavos, quia timor homines ſegnes & ignavos reddit, Germani emphaticè nominant,* Blödehaſen/ *ut Audaces,* Wagehälſe. *Timiditas igitur eſt vitium in defectu; Audacia in exceſſu.*

18. *Obiter hic illam quæſtionem attingemus:* An privatus provocatur ab altero & non comparens timidus

midus appellandus, & provocans fortis? *Reſp. Audaculis & inquietis quibusdam hominibus in more poſitum eſt, ut de lana caprina inter ſe diſcertantes à verbis ad verbera, à Baccho ad Martem, non ſine tragica & luctuoſa ſcena quàm ſæpiſſimè rapiantur, & litem exortam pugna gladiatoria, ad quam alter alterum provocat, dirimant & componant. Verùm tale quid jure improbatur, quia tales gladiatores peccant in Deum, in ſeipſos, in parentes & proximum, Deum offendendo, parentes contriſtando ſeipſos & proximum injuſtè juſta ſine causa lædendo: Quare rectè facit, qui ita provocatus non comparet. Et licet vulgus, multa ex opinione & conſuetudine, pauca autem ex veritate æſtimans, provocantem dicat fortem, fortis tamen non eſt, quia non rei honeſtæ causa, prudenter, decorè & opportunè diſcrimen vitæ ſubit, ſed rei inhoneſtæ causâ, imprudenter, indecorè, & importunè: Propino plenis faucibus tali temerario unicum argumentum: Honeſtatis cauſa fortis fert, facitq́ ea, quæ congrua ſunt fortitudini. Ariſtot. l. 3. Eth. c. 7. At talis glorioſus miles (provocantem intellige) non fert, i. e. periculum non ſubit honeſtatis cauſa, nec facit ea, quæ fortitudini ſunt congrua; id quod probatum facilimum. Ergò non eſt fortis. Quid igitur? Temerarius, Audaculus.*

19. *Hæc de fortitudine verâ, quæ à recta ratione proficiſcitur, ſolâq́ honeſtate nititur. Præter hanc etiam alia eſt apparens, fortitudinis ſolùm ſpeciem habens, propterea quod multa cum vera fortitudine habet communia.* Apparentis hujus fortitudinis *Ariſtoteles 3. Eth. c. 8.* quinque recenſet ſpecies: 1. Politica & civilis, *quam leges à ſingulis civibus in propugnanda patria, propoſitis præmiis, & pœnis exigunt.* Differt à fortitudine vera, 1. cauſa efficiente: *quia proficiſcitur ex quadam neceſſitate legum, & eſt aliquo modo coacta.* 2. Fine, *quia non ſimpliciter honeſtatis cauſa,*

 ſed po-

ſed potius conſequendæ gloriæ, aut avitandæ pœnæ & ignominiæ cauſa ſuſcipitur.

20. 2. Experientalis, *quando experientia hominem ad actiones reddit animoſiores: Quia autem maximè cernitur in militibus,* militaris *dicitur.* Differt itidem à fortitudine vera, 1 Efficiente: *quia nititur experientia, non prudentia aut conſilio* 2. Fine: *quia non pro ſalute patriæ, parentum liberorum & conjugum, adeoq; non pro honeſtate; ſed pro lucro & mercede militant.*

21. 3. Iracunda, *quam ira vel odium ad vindictam ſine certo conſilio excitat.* Differt à Fortitudine vera, 1. Efficiente: *quia tantùm ex affectu aliquo, & non ex certo animi propoſito proficiſcitur.* 2. Forma: *quia rectæ rationi non obtemperat.* 3. Fine: *quia non honeſtatis ſed plerunq; vindictæ cauſa ſuſcitatur.* 4. Subjecto: *quia etiam locum habet in beſtijs, & ſæpius in hominibus ſceleratis.*

22. *Quæritur:* An ira conferat aliquid ad actiones fortitudinis? *Reſp. Diſt. inter furioſam iram, quæ omninò animum perturbat, & mentem homini aufert: & hæc ab actionibus veræ fortitudinis removetur; & iram moderatam, quæ eſt ſtimulus & aculeus fortitudinis propter 1. æſtum naturalem, quem concitat. 2. vires corporis, quas confirmat. propter iram enim incaleſcit ſanguis circa cor, qui calor poſtea per totum corpus diffuſus omnibus membris addit robur aliquod in agendo. 3. appetitum vindictæ, quem ingenerat.*

23. 4. Fiduciaria, *quæ eſt eorum, qui ſpe ſecundi eventus bona, ſuſcipiunt aliquid & agunt, memores ſibi aliquoties rem fœliciter ſucceſſiſſe. Differt à verâ fortitudine,* 1. Efficiente: *quia in forti fiduciæ efficiens cauſa non eſt victoriæ certitudo, ſed cauſæ bonitas.* 2. Forma: *verè enim fortis in periculis usq; ad mortem manet conſtans; hic autem ſpe fru-*

ſtrata

ſtrata ſtacceſſit. fugaq́ ſibi conſulit. 3. Objecto: *Quia enim pericula ſunt duplicia, alia prævisa, alia repentina: in utroq́ genere vir verè fortis fortiter ſe gerit; verùm hic in periculis ſolùm prævisis ſibi conſtat, in repentinis autem animum deſpondet.*

24. 5. Inſcia: *quæ eſt eorum, qui ignorantiâ facti ſunt fortes, periculum itaq́ ſentientes, leporum naturam induunt & fugâ ſe abripiunt. Differentia à vera fortitudine eſt ſatis conſpicua. Quare ad alia, & quidem ad virtutem in ordine ſecundam, quæ vocatur Temperantia: qua de* Ariſtoteles *l. 3. Eth. c. 10. 11. 12.*

25. Temperantia eſt virtus moralis mediocritatem ſervans in appetendis & fugiendis corporis voluptatibus, quæ guſtu & tactu percipiuntur.

26. *Græcis dicitur* σωφροσύνη, *quaſi* σώζουσα τὴν φρένα, *conſervans mentem, vel* σώζουσα τὴν φρόνησιν *conſervans prudentiam, juxta ipſius Ariſtotelis interpretationem, l. 6. c. 5.*

27. Objectum Temperantiæ, *ſunt* Voluptates, non animi, *quia propter voluptates animi nemo dicitur intemperans, ſed potius alicujus rei amans, ut* φιλότιμος, φιλοχρήματος, φιλάρετος, φιλόσοφος *&c.* ſed corporis, *non tamen propriè illæ, quæ vel ex viſu, vel ex auditu, vel ex olfactu; ſed maximè* quæ ex tactu & guſtu percipiuntur. *Propriè enim tum temperantes dicimur, cum guſtum & tactum rectè moderamur: id quod procedit in foro ſoli, in foro poli enim requiritur etiam caſtitas cordis, oris, aurium & oculorum, ut poſtea videbimus. Quare ſententiam Ariſtotelis non excluſivè ſed incluſivè, non ſimpliciter ſed comparatè accipiendam judicamus, ut à potiori facta ſit denominatio: vel ſi ita mavis: politicè & civiliter magis quàm Theologicè & ſpiritualiter: Inde fortè alij, Temperantiæ nomen, inquiunt, ſumitur vel latius, pro moderatione omnium actionum humanarum, quæ cum voluptate*

 copulan-

Digitized by Google

copulantur, & ſic in objectis omnium ſenſuum verſari dicitur, vel ſtrictius pro moderatione voluptatum in objectis guſtus & tactus. Ita Caſus *l. 3. c. 5.*

28. Extrema Temperantiæ *ſunt, in exceſſu ἀκολασία,* Intemperantia, *& in defectu ἀναισθησία,* Stupiditas. Intemperantia *eſt vitiũ in exceſſu, quo citra delectum quævis voluptates in guſtu & tactu poſitas, nulla habita honeſtatis ratione, immoderatè expetimus. Exemplum Intemperantiæ habemus in Sardanapalo ultimo Aſſyriorum Rege, minus regium, qui omnes ferè homines luxuriâ atq; ignaviâ ſuperavit, referente* Diodoro Siculo *l. 2. rerum antiquarum.* Stupiditas *eſt vitium in defectu, fugiens honeſtas etiam voluptates homini ad vitam tuendam à Deo inſitas & conceſſas. De ſtupidis* Ariſtoteles *tale fert judicium c. 11. l. 3. Si cui nihil jucundum ſit, nec interſit inter aliam rem atque aliam, is ut homo ſit procul abeſt.*

29. Diſtribuitur Temperantia *propter diſtinctas voluptates guſtus & tactus, in* Frugalitatem & Caſtitatem.

30 Frugalitas *eſt Temperantia in gula moderanda.* Eſtq; vel Abſtinentia vel ſobrietas.

31. Abſtinentia *eſt frugalitas in moderato cibi uſu. Hæc commendatur* Eccleſiaſt. *10. v. 17.*

32. Extrema Abſtinentiæ ſunt, *in exceſſu* Voracitas, *in defectu* nimia Abſtinentia. Voracitas *eſt intemperantia in cibo. Hanc ut fugiamus monet* Syrac: *c. 37. v. 32. 33. Maximè autem ſibi ab hoc vitio cavebunt, qui ſtudijs animum applicuêre: Plenus enim venter non ſtudet libenter. Et eſſe oportet ut vivas, non vivere ut edas, inquit* Cicero. *quippe natura paucis contenta.*

33. Quæri hic poteſt 1. Quid ſit habendum de Pontificiorum jejunio quadrageſimali? *Reſp. Illud eſt 1. ridiculum: Quotidie enim fame urgente edunt, & ſub ſpecie jejunij exquiſitiſſimis lautitijs piſcium aliorumq; deliciarum ſeſe farciunt. 2. Hypocriticum, quia non animo ſed corpore ſaltem à quibusdam cibis abſtinent. 3. ſuperſtitioſum, quia ſub opinione meriti introductum. 4. frivolum & vanum, quia nuſquam Matt. 15. v. 9. ſed potius olim à Deo in Judæis Eſa. 58. v. 3. à Chriſto in Phariſæo, Luc. 18. v. 19. damnatum.*

34. 2. An certis diebus neceſſariò à certo ciborum genere ſit abſtinendum? *Reſp. Ita quidem volunt Pontificij; verùm Paulus 1. Tim 4. v. 1. 2. doctrinam illam, quæ prohibet abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad*

perci-

percipiendum cum gratiarum actione, doctrinam dæmoniorum. Quare nemo nos judicet in cibo aut potu, *Coloſ.* 2. *v.* 16. *quia mundis omnia ſunt munda*, *Actor.* 10. *v.* 15. *Roman.* 14. *v.* 21. *Non tamen improbamus ordinem domeſticum, qui à multis obſervatur non ex quadam ſuperſtitione vana, ſed ex diſpoſitione Oeconomica ſatis bona, ut certis diebus piſces, aliis carnem maximam partem apponant: idq́ vel propter varietatem, vel bonum ordinem.*

35. Sobrietas *eſt frugalitas in moderato potus uſu. Hæc commendatur paſſim in ſacris*, Tit. 2. *Sobriè, juſtè & piè vivamus.* Sap. 8. *Sobrietas ſapientiam docet & juſtitiam & virtutem, quibus nihil eſt utilius in vita hominibus.*

36. Extrema Sobrietatis *ſunt in exceſſu* Ebrietas, *in defectu* nimia averſatio potus requiſiti. Ebrietas *eſt intemperantia in potu. Hanc tamen pejus & angue fugiendam eſſe ſuadet natura, quam debilitat, Eccleſ.* 37. *ſana ratio, quam planè tollit, Oſe.* 4. *&* 7. *Spiritus Sanctus paſſim in ſcriptura Eſa.* 5. *v.* 11. *& ſeqq. Prov.* 23. *v.* 20. 29. *Luc.* 21. *v.* 34. 1. *Cor.* 6. *v.* 10. *Eph.* 5. *v.* 18.

37. *Quæritur circa hæc:* An in honeſto conventu recreationis ergò liceat largius bibere, quàm ſitis poſtulat? *Reſpondeo ex regula Athenæi: Tria pocula ſunt conceſſa: quartum averſandum:* 1. Poculum neceſſitatis, *quod ſub pane quotidiano in quarta petitione petimus, & Deus ſe nobis daturum promiſit Eſa.* 30. *& alibi. illudq́ naturæ non ſubtrahemus. vide Syr.* 14. *verſib. priorib.* 2. Poculum ſalubritatis, 1 *Tim.* 5. *v.* 23. *Noli adhuc aquam bibere: ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* 3. Hilaritatis. *Eccleſ.* 9. *v.* 7. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum. Job* 2. *Chriſtus ipſe aquam in vinum convertit, ut hoſpites recrearentur in nuptiis in Cana Galilææ. Quo de aſcribam judicium* D. Lutheri *p. m. quod legere eſt in explic. Evang. Dom.* 2 *ab Epiphan. Equidem nolem, inquit, Sathanæ adjudicare, ſi qui, quod ſanè veriſimile eſt, in nuptiis iſtis fuerint, qui largius quàm ſitis poſtularit poti, effuſius fuerint exhilarati. Alioqui peccati reum Chriſtum facerem, qui hujus cauſam ſuo dono præbuiſſet, ac ſimul matrem ejus, quæ pro eo oraverat. Hæc Lutherus: Caveamus tamen ne modum excedamus, noſtræq́ naturæ plenis faucibus potando, ſingulisq́ diebus poculis inhiando & indulgendo, noceamus, & quod magis eſt, æternam ſalutem perditè perdamus.* 4. Furoris: *quo de th.* 36.

38. *Reſtat altera Temperantiæ ſpecies,* Caſtitas, *quæ eſt temperantia in*

venere

Venere moderanda. Quam ut nobis acquiramus, eiquè acquiſitæ nos totos dedamus monet Salomon Prov. 23. v. 12. 23. Caſtitatem non intelligimus tantùm, quæ in externi corporis tactus moderamine cernitur, ſed etiam caſtitatem Cordis, Syr. 23. & Prov. 23 v. 12. Oculorum, quos à vanitate debemus avertere Syrac. 9. 2. Pet. 2 ne ad peccandum alliciamur, ut David erga Berſabeam, 2.Sam.11. Holofernes erga Judith. c. 9. Aurium, Prov. 23. v. 12. mores enim colloquijs pravis corrumpuntur, 1. Cor. 15. Oris, Eph. 4. Matt. 12.

39. Extrema Caſtitatis ſunt, *in exceſſu* Libido, *in defectu* affectata veneris omnis deteſtatio. Libido *eſt intemperantia in Venere, ſive exerceatur in conjugio ſive extra conjugium. includit igitur Fornicationem, quæ eſt vaga & profuſa ſoluti cum ſoluta intemperantia. Adulterium, quod eſt individuæ ſocietatis ac matrimonij violatio. Stuprum, quod eſt virginis turpiſſima & libidinoſa corruptio. Inceſtum, qui eſt affinis & cognati ſanguinis contaminatio. Peccatum contra naturam, & pollutionem nocturnam. A peſſimo hoc vitio qui tutus eſſe voluerit: Oret & laboret, quin & temperanter vivat: Verum enim eſt illud Poëtæ:*

Otia ſi tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent, & ſine luce faces.

ut & hoc Terentij: Sine Libero & Cerere friget Venus.

40. Affectata Veneris omnis deteſtatio *hoc ſeculo cernitur in Monachis & Monialibus, neſcio quam caſtitatem præ ſe ferentibus.*

41. *Quæritur 1.* An ſit dicendus caſtus, qui vivit in conjugio? *Affirm: 1. propter cauſam conjugij efficientem, quæ Deus, Gen. 2. 2. Impellentem, quæ eſt natura. 3. ornantem, 1. donis: Deus enim conjugio benedixit, & Chriſtus primo miniſterij ſui miraculo illud condecoravit. 2. Elogijs. vocatur enim Hebr 13 honorabile. Ergo qui vivunt in conjugio, Deo non diſplicent, & proinde caſti ſunt dicendi.*

42. *Quæritur 2.* An Conjugium ſacerdotum Deo diſpliceat? *Neg? 1. propter expreſſum textum. 1 Tim. 3. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe & unius uxoris virum. 2. Exempla: Zacharias fuit ſacerdos, quem ſcriptura prædicat juſtum: habuit tamen uxorem Eliſabetham. Luc. 1. Petrus habuit ſocrum Matth. 8. Ergo & conjugem. Vnde Paulus inquit 1. Cor. 9. Habemus poteſtatem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri fratres & Cepſas,*

43. *Quæritur 3.* An Polygamia in benè conſtituta Rep. ſit concedenda? *Negatur 1. quia contrariatur primæ inſtitutioni Gen 2. & renovationi Matt. 19. v. 4. 2. quia inde odia alerentur inter uxores & liberos, ut apparet ex Exemplo Hagaræ & Saræ, Iſmaëlis & Iſaaci. Quid de Polygamia Patrum ſit habendum, videbimus in collatione.*

Collegij Ethici

DISPUTATIO NONA,

De

LIBERALITATE

ET MAGNIFICENTIA,

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academia

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ Lemgoviâ-Weſtpha. S.S. Theol. Studioſi.

Publicè defendendam ſuſcipit

PAULUS PYLL Gryphiſwald. Pomer.

Ad diem 1. Aprilis, horis à 6. matut. in Auditorio Majori.

Plautus in Pœnulo.

Ita ſunt omnes iſti noſtri divites;
Si quid benefacias levior pluma eſt gratia:
Si quid peccatum 'ſt, plumbeas iras gerunt.

ROSTOCHI

Exſcripſit Auguſtinus Ferberus, Anno M.DC.XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I.

PErgimus ad virtutes, quæ circa ſumptus verſantur.

2. *Sumptus a. ſunt vel modici vel magni: Circa modicos occupata eſt Liberalitas, circa magnos Magnificentia.*

3. *Antequam de his virtutibus ſpecialiter agatur, quæſtio una vel altera generalis primò decidenda erit: Prima:* An opes & divitiæ ſint bonæ & expetendæ? *Reſp. Percontatus Chilon, quid eſſent divitiæ? reſpondit: Theſaurus malorũ; calamitatis viaticum; improbitatis fulcrum: Cui quò minus ſubſcribamus, rationes nos movent prægnantes, quarum* 1. *& principalis deſumitur* à cauſa efficiente*: Dei benedictio non eſt mala. Atqui opes & divitiæ ſunt Dei benedictio. Ergò non ſunt malæ. Aſſumptionem probo* 1. *ex naturâ: Teſtatur enim experientia nos noſtra potentia & ſapientia nihil nobis acquirere poſſe, & ne minimum quidem ex terra gramen vel hordei granum producere.* 2. *ex ſcriptura: 1. Reg. 3. Ego (dicit Dominus) dedi tibi divitias & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus, cunctis diebus tuis. Job. 1. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Prov. 10. Benedictio Domini divites facit.* 2. ab effecto: *Sine quo non poteſt conſiſtere Reſpublica, communis ſocietas, ſine quo eruditio & alia ad victum & amictum neceſſaria non poſſunt comparari, illud certè bonum & expetendum. At ſine opibus Reſpublica nequit conſiſtere, quia ſunt nervus rerum gerendarum: Sine opibus eruditio & alia non poſſunt comparari, quia teſte* Juvenali: *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat Res anguſta domi. & verum eſt & manet illud* Plauti *in Aſinaria:*

Quum à piſtore panem petimus, vinum ex œnopolio,

Si æs habent, dant mercem: eâdem nos diſciplinâ utimur:
Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.

4. 3. ab exemplis *multorũ piorum hominũ divitias poſſidentium: Abrahami, Gen. 21. Iſaaci, Gen. 26. Jacobi, Gen 32. Salomonis 1. Reg. 3. Jobi c. 1. & ult. Nicodemi, Joſephi ab Arimathæa. Sexcenta liceret ejusmodi enarrare. Divitias igitur per ſe eſſe bonas & expetendas concludimus: Si quæ in contrarium objici poterunt, facilè verbo proſternes, ſi diſtinxeris inter uſum & abuſum, inter per ſe & per accidens: quin & proteſtationẽ facto contrariam oſtenderis, ſiquidem experimur, multos verbis divitias contemnere, ſed re tamen eas captare, innuente* Simonide, *qui interrogatus, utra res eſſet optabilior, divitia an ſapientia? reſpondit: Dubito, ut qui videam ſapientes frequentare divitum fores.*

5. *Secunda:* An communio bonorum in benè conſtituta Republica ſit neceſſaria? *Reſp. Ita opinatus eſt divinus aliàs ille vir maximus Plato, non ſaltem facultatum jus commune introducens; verùm etiam uxores & liberos in Rep. communes faciens: Platoni aſtipulatur maligna Anabaptiſtarum caterva; Sententiam hanc impiam refutamus primò ex ſacris: Prov. 5. v. 16 17. Deriventur fontes tui foràs: & in plateas rivuli aquarum. Habeto eas* ſolus, *nec ſint alieni participes tui. 2. Cor. 8. v. 14. Veſtra abundantia (non dicit, tota facultatum ſubſtantia) illorum inopiam ſublevet. Paulus Epheſ. 4. v. 28. vult, ut laboremus operando manibus noſtris, quod bonum eſt, ut habeamus, unde tribuamus neceſſitatem patienti. Pugnat igitur Anabaptiſtica illa opinio contra expreſſum Dei mandatum, pugnat contra Iſraelitarum Exemplum juſſu Dei terram promiſſam inter ſe dividentium. Deinde his ſuperaddi poſſunt ex profanis varia incommoda communionem bonorum ſubſecutura: Illa enim tollit commercia, quæ Reip. ſunt quaſi anima; illa litium & contentionum eſt cauſa,* ob in-

Digitized by Google

ob ingenia communicantium diverſa: Quid? tollit è civitate auream illam virtutem liberalitatem. Abiſis igitur Anabaptiſta, nihil dicis. Ad argumenta contraria ſolvenda notetur 1. Quæſtionem noſtram eſſe non de bonis ſpiritualibus; ſed corporalibus. 2. nec de horum uſu, qui, prout cuiq; juſtitia pro merito concedit, eſt communis; ſed de poſſeſſione, quæ eſt propria. Quam ſi communem fuiſſe dixeris in Eccleſia conſtituenda N. T. tempore Apoſtolorum: Ergo adhuc debere eſſe communem: Parata eſt reſponſio: 1. Diſtingue tempora & concordabit ſcriptura. 2. liberrima fuit illa communio, non coacta, ut patet ex Act. 5. v. 4. 3. tempore Apoſtolorum denuò immutata.

6. *Tertia:* An Liberalitas à Magnificentia differat? *Reſp. Convenire illas in quibusdam certum, in multis etiam differre haud incertum:* Differunt *enim 1.* Cauſa efficiente: *quia Liberalis poteſt eſſe pauper; Magnificus minimè: Inde omnis Magnificus eſt liberalis, ſed non contra, omnis liberalis eſt magnificus. 2.* modo actionis, ſive circumſtantijs: *Magnificus enim ſingulari pompa & ſplendore facit ſumptus; Liberalis non item. 3.* Objecto. *Magnificentia verſatur circa ſumptus magnos; Liberalitas circa parvos.*

7. *Hiſce ita præmiſſis ad ſpecialem virtutum th. 2. nominatarum conſiderationem pergimus, veſtigia Philoſophi l. 4. Nicom. quoad præcepta ipſa preſſuri.* Eſt *igitur* Liberalitas virtus mediocritatem ſervans in pecunijs modicis dandis & accipiendis.

8. *Liberalitas, ſi originem vocis ſpectes, dicitur à libero,* per notationem ex ſubjecto, *quia libero homine eſt digna; vel* per notationem ex cauſa, *quia à libero animo proficiſcitur. vel ſi mavis, à liberando* per not. ex effecto, *quod beneficia à liberali profecta alios à neceſſitate liberent.*

9. *Liberalitatem* Ambroſius *libro primo de officijs & ante eum* Cicero *1. off. benignitatis & beneficentiæ nomine*

 appellari

Digitized by Google

appellari ſcribunt: idq́; rectiſſimè, Benignitatis quidem pro affectu: neq; enim ſatis eſt benè facere, niſi id ex bono fonte, hoc eſt, ex bona voluntate proficiſcatur; Beneficentia verò pro effectu deſignando: quia non ſatis eſt benè velle, ſed etiã benefacere.

10. Objectum liberalitatis, ſunt: τὰ χρήματα, ἀπὸ τῆς χρήσεως, *ab uſu, dicta quaſi* χρήσιμα, *utilia ad res nim. neceſſarias comparandas: ſine uſu enim opes, quãtumvis magnæ ſint, inter bona verè numerari non poſſunt, ſecundum illud Poetæ:*

Quid mihi divitiæ, quarum ſi demſeris uſum:
Quamvis largus opum, ſemper egenus ero.

Per χρήματα *igitur, ſive per pecunias non tantùm intelliguntur nummi ſignati, quibus in emendo & vendendo utimur; ſed etiam omnes reliquæ opes & poſſeſſiones, quarum pretium ſolet pecuniâ ſive nummis æſtimari, teſte ipſo Ariſtotele l. 4. c. 1.* χρήματα δὲ λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *Pecunias appellamus res eas omnes, quarum nummo æſtimatio ponderatur. Cicero 2. off. eleganter ita hæc exprimit: Liberalitatis ratio eſt duplex: nam aut opera benignè fit indigentibus, aut pecunia: facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim, ſed illa lautior ac ſplendidior, & viro forti, claroq́; dignior. Quanquam enim in utraq; ineſt gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur.*

11. Actiones, in quibus officium & natura liberalitatis conſiſtit, ſunt duæ: διδόναι καὶ λαμβάνειν, *dare & accipere: de quibus quæritur:* Utrum liberalitas magis ſit occupata in dando, quàm in accipiendo? *Prius affirmat Philoſophus l. 4. Nic. c. 1. non nudis verbis, ſed rationibus arduis: I.* à virtutis proprio in genere: *Virtus magis cernitur in bona actione, quàm in paſſione: quia actio ſemper eſt paſſione præſtantior. At dare beneficium eſt benè agere; accipere autem eſt velut paſſio reſpectu dantis: qui enim accipit beneficium, is patitur ſe beneficio affici ab altero. Ergo. II.* à comparatis:

Cui

Cui actioni magis debetur gratia, circa eam etiam magis verſatur virtus. Sed ei qui dat beneficium, magis debetur gratia, quàm ei, qui accipit. Ergo. III. ab adjuncta laude: *Laus eſt proprium conſequens virtutis: Quod igitur laudabilius eſt, circa illud etiam maximè veratur virtus. At dare laudabilius eſt, quàm accipere, Act. 20. Beatius eſt dare, quàm accipere. Ergo. IV.* ab adjunctâ difficultate: *Quæ difficiliora ſunt, in illis magis conſpicitur virtutis vis & excellentia. Sed dare aliis quæ neceſſaria ſunt, difficilius eſt, quàm ab aliis accipere, quia ea, quæ neceſſaria ſunt, magis à nobis etiam amantur. E. V.* ab adjuncto proprio in ſpecie: *Propter quam actionem communiter homines dicuntur eſſe liberales, circa eam etiam magis verſatur liberalitas. Sed propter donationem communiter homines dicuntur liberales: nemo enim liberalis, qui accipit beneficium; ſed potius qui præſtat: Ergo liberalitas magis eſt occupata in dando quàm in accipiendo.*

12. Requiſita, quæ in dando obſervanda, ſunt tria: *1.* Finis, *Dandum eſt* τῦ καλῦ ἕνεκα, *honeſtatis gratiâ: Liberales igitur non ſunt 1. qui oſtentationis gratiâ benefaciunt, ut Phariſæi, Matt. 6. Nec enim illa perfecta eſt liberalitas, inquit* Ambroſius, *ſi jactantiæ cauſâ magis, quàm miſericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur. 2. qui lucri ſui gratia largiuntur, ut nim. plus recipiant: Eſt enim liberalis*, inquit Philoſophus *d. l. non ad ſe ipſum reſpicere. Nemo plus tribuit*, inquit Ambroſius libro de viduis, *quàm qui ſibi nihil requirit. Et* Seneca initio l. 1. de Beneficijs. *Demus beneficia, non fœneremus. Dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret.*

13. *2.* Modus, quo pacto ſit dandum: *nim.* ὀρθῶς, *rectè. Ut autem liberalitas rectè exerceatur, conſideranda ſunt quinque hæ circumſtantiæ; Perſona, quantitas, qualitas, bene-*

beneficÿ, tempus quando, & locus ubi beneficium ſit præſtandum. De perſonis *obſervandum, non dandum quibuslibet ſine diſcrimine, ſed tantum ÿs, qui digni ſunt. Inde* Seneca: *Quibusdam non dabo, quamvis deſit, quia etiamſi dedero, erit deſuturum. Diſcrimen hoc ſpecialiter inculcat Paulus Galat. 6. v. 10. Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. &* Syracides *c. 12. v. 1. & ſeqq. Si benefeceris, ſcito, cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa, &c.*

14. Circa quantitatem *beneficiorum præcipit Ariſtoteles, ut tantum demus, quantum oportet, i. e. quantum facultates poſſunt ferre, ſecundum mandatum* Tobiæ *c. 4. v. 9. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire ſtude.* Pauli *2. Cor. 8. v. 13. Non ut aliÿs ſit remiſſio, vobis autem relaxatio.*

15. Circa quantitatem quæritur: An tam poſſit eſſe liberalis qui parum dat, quàm qui multa dat? *Reſp. vulgus, ex opinione multa, ex veritate pauca æſtimans, metitur beneficia, non ex qualitate, ſed ex quantitate, non ex animo & voluntate, ſed ex cumulo & multitudine; verùm rectius ſentit Ariſtoteles d. l. quando inquit: Non in multitudine rerum, quæ donantur liberalitas eſt, ſed in habitu donantis, qui quidem pro facultatibus donat. Nihil quoq; prohibet liberaliorem eſſe, qui minora dat, ſi de minoribus donet. Idem confirmat Chriſtus Luc. 21. v. 2. cum pronunciat, viduam illam, quæ tantum duos obulos in Gazophylacium immiſerat, plus dediſſe, quàm omnes reliquos divites: hac addita ratione: quia reliqui ex ſua abundantia dederunt; hæc autem ex penuria univerſam ſuam ſubſtantiam obtulit. Poteſt itaq; tàm eſſe liberalis qui pauca dat, quàm qui multa dat, ſi 1. ex minoribus det facultatibus. 2. det animo liberaliori & propenſio-*

Digitized by Google

penſiori: veriſsimum enim eſt axioma: Liberalitas non eſt æſtimanda quantitate eorum, quæ dantur, ſed animo dantis, ut infra patebit.

16. Circa qualitatem *beneficiorum præcipitur, ut benefactori talis propoſitus ſcopus, ne noceat ei cui benefacit: Quam in rem eleganter* Cicero: *videndum eſt, ut eâ liberalitate utamur, quæ proſit alijs, noceat nemini.* Ambroſius: *Pulchrum eſt eo largiri conſilio, ut proſis, non ut noceas. Nam ſi luxurioſo ad luxuriæ effuſionem, adulteræ ad mercedem adulterij largiendum putet, non eſt beneficentia, ubi nulla eſt benevolentia. Officere enim iſtud eſt, non alteri prodeſſe.*

17. Quod ad tempus *attinet, non oportet nimium procraſtinare in exercenda liberalitate, ſed celeriter dare & quidem promptè. Ingratum enim eſt beneficium quod diu inter manus dantis hæſit. Econtra, Beneficij gratia,* inquit Nazianzenus, *promptitudine & celeritate congemmatur,* juxta illud Publij Mimi: *Qui citò dat, bis dat. Et* Auſonij.

Si benè quid facias, facias citò, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Et *Seneca:* Omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis cito facere. Tardè velle nolentis eſt.

18. De Loco *præcipit Ariſtoteles, eo in loco præſtanda eſſe beneficia, ubi eſt honeſtum: Quædam beneficia palam ſunt danda, quædam ſecretò: Palam danda, quæ honoris gratia conferuntur, ut ſint quaſi teſtimonium noſtræ erga illum benevolentiæ & obſervantiæ; Clam, ignotis alijs, illa danda, quibus occurrimus proximi egeſtati, ne videamur ea oſtentare, vel alteri patefacere: prout fecerunt Phariſæi, qui ideò notam reprehenſionis juſtam incurrunt. Matth.6.* Illuſtre exemplum narratur de S. Nicolao Myræ Epiſcopo, *cujus cum civis egens tres filias jam nubiles in matrimonio collocare non poſſet, ea-*

Digitized by Google

rumq; pudicitiam proſtituere cogitaret; re cognita Nicolaus noctu per feneſtram tantum pecuniæ in ejus domũ injecit, quantum unius virginis doti ſatis eſſet: Quod cum iterum & tertio feciſſet, tres illæ virgines in matrimonium datæ ſunt.

19. 3. Dantis animus. *Dare enim debemus cum quadam animi jucunditate: ſiquidem is, qui cum moleſtia dat, videtur invitus dare, proinde ipſius beneficium omnem amittit gratiam: Quam in rem eleganter* Seneca: *Beneficium ab homine invito & duro profectum, eſt inſtar panis lapidoſi, quem eſurienti quidem accipere neceſſariũ eſt; edere autem eſt acerbum & moleſtum. Liberalitas ergo non cumulo patrimonij, ſed largitatis definitur affectu. Nec diſſentit ſcriptura: Syrac. 35. Hilarem datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. Unuſquiſq; benefaciat ſecundum propoſitum cordis, non ex moleſtia aut neceſſitate. Id quod elegantiſſimè expreſſit* Auguſt: *Ante Dei oculos non eſt manus vacua à munere, ſi arca cordis plena eſt bona voluntate.*

20. Quærit Philoſophus d. l. 1. Utrum liberaliores eſſe ſoleant illi, qui opes ſuas ab alijs acceperunt; an illi, qui proprijs laboribus acquiſiverunt? *Reſpondet priores plerumq; liberaliores eſſe, quia 1. illa nobis ſunt plerumq; cariora, quæ magno labore nobis conſtant, ideoq; diligentius etiam cuſtodimus. At illis non conſtant opes magno labore. Ergo. 2. naturaliter magis amamus ea, quæ ſunt noſtra propria opera, quàm quæ ab alijs effecta.*

21. 2. An Liberalis facilè diteſcat? *Reſpondet per negationem, 1. quia liberalis eſt magis propenſus ad dandum, quàm ad accipiendum. 2. quia non propter ſe pecunias magnifacit, ſed ut de illis alijs benefaciat. Non incommodè tamen diſtinxeris inter divitias abuſivè ita dictas, vel ſtrictè, inter divitias veras & apparentes; inter divitem & avarum.*

22. Et

22. *Et hæc de requiſitis quæ in dando ſunt attendenda,* ſequuntur quæ in accipiendo:*nim.1. liberalis non accipiat inde,ubi non accipiendum. 2. ut de ſuis benefaciat. 3. ut honeſtis rationibus facultates ſuas augeat. Gen.3. Eph. 4. Quiq; ſuis non proſpicit pejor eſt Ethnico & fidem abnegavit, inquit Paulus in Epiſtola ad Timoth.*

23. *Quæritur*: An dare & accipere ſint contraria? *Reſp. Dare & accipere quando conveniunt in honeſtate, tanquam in aliquo tertio, h. e. ſi æquitati & juſtitiæ ſunt conſentanea, non ſibi mutuo adverſantur, ſed potius ſunt ſibi mutuæ cauſæ. Fiunt tamen contraria, quatenus vel in exceſſu vel in defectu peccatur.*

24. Extrema Liberalitatis ſunt Prodigalitas & Avaritia. *Prodigalitas eſt vitium in dando excedens, & accipiendo deficiens. Avaritia eſt vitium in dando deficiens, & accipiendo excedens.*

25. *Quæritur*: An Avaritia ſit deterior prodigalitate? *Aff. quia 1. Avaritia eſt incurabilis; Prodigalitas curabilis. 2. Prodigalitas magis eſt agnata virtuti. 3. Prodigus aliquando prodeſt: Avarus minimè, niſi quando moritur: nec tamen revera prodeſt, Malè enim parta, malè dilabuntur. &, De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.*

26. Hæc de Liberalitate, ſequitur Magnificentia, quæ circa magnos occupata ſumptus. Magnificentia eſt virtus mediocritatem ſervans in ſumtibus magnis decenter faciendis.

27. Objectum Magnificentiæ *ſunt vel ipſi ſumtus magni,vel opera ſumptuoſa,in quæ ſumptus fiunt. Opera autem ſunt vel privata, quæ ad ipſum Magnificum & ejus familiam pertinent, ut,ædes,horti,ſuppellectilia,vel publica, eaq; vel ſacra vel profana.*

28. Exemplum Magnificentiæ *longè celeberrimum fuit Carolus Magnus egregia poſt ſe relinquens opera, conſtituendo Epiſcopatus celeberrimos, additis certis reditibus, quibus pauperes, Eccleſiæ miniſtri honeſtè alerentur: & quæ alia introduxit opera præclara. Quin & exemplum Magnificentiæ ſunt celeberrimi celeberrimarum Academiarum fundatores & inſtauratores Reges & Principes, inter quos Illuſtriſſimos Principes Megapolitanos Johannem & Albertum Academiæ florentiſſimæ Roſtochienſis anno 1419. fundatæ fundatores verè numerabis.*

29. Ma-

Digitized by Google

29. *Magnificentia igitur ſtrictè ita dicta competit ſolum hominibus virtute vel genere præſtantibus, atq; opibus honeſtè partis abundantibus.*

30. *Quæritur hic non incommodè,* 1. Utrum; ſtipendiorum largitores ſint liberales, an Magnifici dicendi? *Magnam deberi laudem & gratiam illis, qui ſtudia ſtudioſorum liberalibus ſuis & magnificis donis promovent, nemo niſi ingratiſsimus inficiabitur; ad quæſtionem ipſam Reſp. Stipendiorum illi largitores diſtinguuntur vel perſonis, vel donis, vel utroq;: Liberales rectiſsimè ſuo jure illi dicuntur, qui non ſunt uſq; adeò excellentes, quiq; modicum legant ſtipendium; Magnifici, qui ſunt excellentiores, quiq; magnificè erogant & aliquantò liberius. Hæc comparatè accipiantur, non ſimpliciter, ita enim uterq; laude digniſsimus.*

31. 2. An aliquis opera magnifica, ut, Magiſtratum & Miniſterium, bonâ conſcientiâ emere poſſit? *Reſp. De facto hoc fieri experimur ſæpiſsimè, de jure fieri non debere nec bona conſcientiâ poſſe, probamus evidentiſsimè: Quod prius attinet,* 1. à cauſa efficiente boni Conſulis & Senatoris. *Virtus facit bonum Conſulem & Senatorem. Ergo pecuniâ officia illa non poſſunt emi.* 2. Ab adjuncto periculo. *Ita enim peſsimis potius quibusvis quàm bonis gubernacula Reip. committerentur: Quod ſine ſumma impietate concedi nequit. Quoad poſterius ita argumentamur. Quodcunq; factum legitimæ contrariatur vocationi, quodcunq; caret teſtimonio ſcripturæ & exemplo Eccleſiæ, illud bonâ conſcientiâ fieri non poteſt. Atqui emere miniſterium legitimæ contrariatur vocationi, caret ſcripturæ teſtimonio, & Eccleſiæ exemplo. Ergo. Partium præmiſſarum probationes ſi quis deſiderabit, in collatione habebit.*

32. *Extrema Magnificentiæ ſunt luxus & ſordes: Luxus eſt vitium in ſumptibus magnis modum excedens. Et certè Magnifici ab hoc vitio cavebunt; Luxu enim & prodigalitate opulentiſsimi Imperatores, integra ſua perdidêre regna, ut tandem coacti fuerint æs alienum contrahere, ſicut legitur de Antonino non ſolùm ærarium publicum exhaurienti, ſed etiam magnum æs alienum contrahenti. Sordes eſt vitium in ſumptibus magnis indecorè deficiens.*

Digitized by Google

THESIS I.

A Tque ſic vidimus virtutes in ſumptibus faciendis occupatas; ſequuntur quæ in honoribus: Magnanimitas & Modeſtia: *de quibus* Ariſt. *l. 4. Eth. cap. 3. & 4.* Quarum objectum eſt Honor: *non quidem ſimpliciter internus, qui eſt præmium ſive adjunctum ſummi boni; ſed externus potiſſimùm, incluſivè tamen, non excluſivè.*

2. Honor eſt præmium virtutis, tributum à congruente ejus judice & viro probo: ut ejus virtus refulgeat, cæteriq; ejus exemplo ad virtutem invitentur. *Piccol. gr. 8. c. 24.*

3. Cauſa efficiens *igitur Honoris eſt merens vel conferens: Merens eſt honoratus: Conferens eſt honorans.* Subjectum, *eſt virtuoſus.*

4. *Quæritur circa honorem in genere* 1. Utrum honor ſit adjunctum virtuoſi ſeparabile, an inſeparabile? *Reſp: Viros virtute præditos rariſſimè digno honore affici, teſtatur experientia, præſertim in patriâ, quo de Chriſtus ipſe conqueritur Matth. 13. v. 57.* In patriâ non eſt acceptus gente Propheta: *unde & in proverbium abyt:* Inter nemo ſuos facile inclareſcit amicos; *Extra patriam autem major virtuoſis exhibetur honor: Et: Advena fama venit ſemper majoribus alis. Fitq; hic ferè, quod in ramo & ſylveſtribus arboribus tranſplantatis, ſi ramum ramus adoptet, ille ipſe ramus deinde excreſcit in juſtæ magnitudinis & altitudinis arborem, qui quidem in ſua arbore nil niſi ramus manſiſſet: Videtur igitur honor ex parte ſeparabilis: cui reclamat hoc Synecdochicum:* Gloria virtutis comes eſt, ut corporis umbra: *Ex quo tamen quæſtionis deciſio facilè deſumi poteſt, ſi inſtituatur comparatio: Umbra enim corpus quidem concomitatur, ſed non ſemper eodem modo, non-*

Digitized by Google

nunquam præcedit interdum ſequitur, interdum jungitur à latere, & quaſi unà incedit: Ita & honor ſemper comitatur virtutem, ſed non ſemper eodem gradu & ſplendore, &c. Accuratam ut habeas deciſionem, Diſtingue inter honorabile & honorari; Virtuoſus ſemper eſt honorabilis & honore dignus, licet rarò vel nunquam honoretur.

5. 2. Utrum honor ſit potius honorantis; an verò honorati? *Reſp. Honos eſt honorantis 1. ſi ſpectes honoris cauſam conferentem. 2. ſi ſumis honorem pro applauſu externo; eſt honorati, ſi ſpectes cauſam merentem, ſive ſubjectum honoris proprium, quia in eo eſt virtus tanquam honoris fundamentum, quæ virtus impellit alios homines ad benè de nobis ſentiendum.*

6. 3. An honores liceat expetere? *Quis dubitat, ſi moderatè, circumſtantijs probè conſideratis, honor ex merito prodiens appetatur. Honor enim alit artes, omneſq; incendimur ad ſtudia gloriâ: quin & ſi medium expetere licet, cur nec meritum? Si iisdem Deus virtuoſis promittit in ſacris gloriam & honorem, & ſeriò vult, ut honore afficiantur virtuoſi, quis vitio illis vertere poterit, ſi eundem expetant? Abeant igitur, qui Titulos & Honores Academicos tollunt, eoſq; petentibus conferre nolunt.*

7. 4. An doctus poſſit bonâ conſcientiâ operam ſuam Eccleſiæ offerre? *Reſp. Offerre licet, id quod Chriſtus ſignificavit per operarios in foro ſtantes, Matth. 20. v. 6. 7. Paulus expreſſè dicit 1. Tim. 3. v. 1. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Eſaias fecit, c. 6. v. 8. Et audivi, inquit, vocem Domini dicentis: Et dixi: Ecce, ego, mitte me. Nemo tamen ſe obtrudat ad publica munera coram Deo, Syrac. 7. v. 4. nec quiſquam ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur à Deo, ut Aaron, majus enim alioqui ſumit judicum*

Digitized by Google

dicium, Hebr. 5. v. 4. 5. Et quomodo prædicabit, niſi mittatur, Rom. 10. v. 15. obtruſio igitur & miſsio ſunt contraria; oblatio autem & miſsio ſunt ſubordinata.

8. 5. An Patri homini privato ſuperior locus, majorq; honor debeatur, quàm filio ipſius in publico Magiſtratus officio conſtituto? *Reſp. Quia Filij à parentibus maxima accipiunt beneficia, nim. 1. τὸ εἶναι, ipſum eſſe, id eſt, vitam & corpus: 2. τὴν τροφὴν, id eſt, alimenta & omnia, quæ ad vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria: 3. τὴν παιδείαν, educationem: Filij parentibus non tantum debent honorem, quemadmodum Deo, ut Ariſt. l. 9. Eth. c. 2. loquitur, licet non ſimpliciter omnem, ſed tantùm eum, qui ipſis competit, quatenus ſunt parentes: quia Deo magis obediendum, quàm hominibus, & ipſi parentes etiam religionis & veritatis cauſa interdum abnegandi ſunt: adeò ut Valentinianus Imperator verè dixit: Debeo quidem affectum, id eſt amorem parenti; ſed magis debeo obſequium Deo ſalutis auctori; verùm etiam alimenta & victum, ſive vitæ ſubſidia: Per quos enim vitam accipimus, vitaq; noſtra eſt ſuſtentata, ijs certè vitæ ſubſidia non deneganda: Ultimum hoc liberorum requiſitum, nullam admittit limitationem: quia Filij qui ſunt ditiores & auguſtiores, in parentes eſſe debent gratiores; prius autem diſtinctionem non reſpuit: Conſiderantur enim Pater & Filius vel relatè, atq; ſic Filius filialem obſervantiam & honorem ſemper ſine reſpectu loci & temporis tribuere debet Patri, prout in quarto Decalogi, ſive primo ſecundæ tabulæ præcepto Deus ſeverè præcipit. Honora patrem & matrem, ut ſis longævus in terra? Et Syracides c. 3. inquit: Qui timet Dominum, honorat parentem, à quibus procreatus eſt ſermone, opere & patientia; vel abſolutè præter illam relationem, atq; ſic Filius Magiſtratum gerens, poteſt præferri*

Digitized by Google

Patri perſonam privatam ſuſtinenti, non habitâ ratione juris domeſtici, intellige, in publicis locis & congreſſibus, ubi officij & authoritatis habenda ratio: in privatis enim jus obſervatur domeſticum. Gellius lib. 2. c. 2. quæſtionem decidit hoc modo: In publicis locis atq; muneribus atq; actionibus, Patrum jura cum Filiorum, qui in Magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata interquieſcere paululum & connivere, ſed cùm extra Remp. in domeſtica re atq; vita ſedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari diſcumbatur, tum inter filium Magiſtratum, & Patrem privatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri.

9. 6. An fœminæ publicum committi poſſit imperium? *Reſp. Diſtinguendo inter fœminam vinculo conjugali ligatam; aut ſolutam. Ligata conſideratur vel reſpectu mariti, cujus ſub imperio eſt; vel reſpectu familiæ, cui debet imperare: & ſubditorum mariti, quibus poteſt imperare, ita tamen ne clavum teneat, nec quicquam contra mariti decretum fiat, authoritatiq; ejusdem aliquid decedat. Soluta publicum imperium committi poteſt, & quidem ita ut clavum teneat, ſive fuerit virgo, dotibus & ornamentis animi dotata: ſive vidua, quæ jure naturæ hæreditario in hæreditate regni ſuccedit.*

10. 7. An honor ſit externorum bonorum bonum maximum? *Reſp. Pro affirmativa Ariſtoteles l.4. Eth. c.3. pugnat rationibus tribus:* 1. à nobiliſſimo honoris ſubjecto: *Quod bonum externum Deo attribuimus, illud eſt maximum. Atqui honorem Deo attribuimus. Ergo.* 2. à cauſæ honorem expetentis præexcellentia: *Quod bonum illi qui in dignitate ſunt conſtituti maximè appetunt, illud cenſetur maximum. Atqui honorem maximè appetunt ij, qui in dignitate aliqua ſunt conſtituti, veluti Reges, Principes,*

cipes, Conſules, Senatores, parentes, ſeniores, præceptores, quibus omnibus honor præcipuè debetur. Ergo. 3. à felicitatis adjuncto: *Quod bonum eſt rerum præclariſſimarum, id eſt, virtutis & ſummi boni ſive fælicitatis præmium, illud eſt maximum: quia rei maximæ maximum debetur præmium. At honor eſt rerum præclariſſimarum, virtutis & fælicitatis præmium*: teſte etiam Cicerone in Orat. pro Milone: *Ex omnibus præmijs virtutis ampliſſimum præmium eſt honor & gloria.* Et lib. 10. Epiſt. Famil. *Is verè honos videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita, claris viris defertur & datur: eſtq; non invitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis præmium. Idem ſignificanter exprimit hic verſiculus:* Fructus honos oneris, fructus honoris onus. *Ergo honor eſt externorum bonorum bonum maximum.*

11. *Hæc de honore in genere:* Honor *deinde* eſt vel magnus vel parvus: Circa magnos verſatur μεγαλοψυχία, Magnanimitas: circa parvos Modeſtia, *quæ apud Græcos certo & proprio caret nomine.*

12. Magnanimitas eſt virtus moralis in magnis vel debitis honoribus expetendis vel contemnendis mediocritatem ſervans.

13. Objectum *Magnanimitatis, ſunt: bonores magni. Circa quos ita ſe geret Magnanimus, ut 1. bonores magnos & veros ſibi delatos à viris bonis & claris amplectatur: à viro enim laudato laudari honeſtum eſt, inquit Cicero. 2. ut contemnat parvos, ſimulatos & falſos bonores à viris obſcuris & improbis ſibi exhibitos. 3. expetat non nimis cupidè. 4. contemnat vulgi rumores & contumelias, quia ſcit illas non poſſe maculam aliquam ignominiæ ipſi inurere: Hinc Socrates, cum quidam ei malè loqueretur, reſpondit: Quid mirum,*

rum, cum benè loqui non didicerit? Quare Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

14. Extrema Magnanimitas ſunt: *in exceſſu*, χαυνότης, Superbia. *in defectu*, μικροψυχία, Puſillanimitas.

15. Superbia *eſt vitium in magnis honoribus modum excedens. Hanc ut cane pejus & angue fugiamus, monet lapſus primorum noſtrorum parentum, Naman, Nabuchodonoſoris & aliorum: Deus enim ſuperbis reſiſtit, 1. Pet. 5. mente ſuperbos diſpergit, Luc. 1. adeò ut odibilis ſit coram Deo & hominibus ſuperbia, Syr. 10. v. 7. quæ ubi fuerit, ibi erit & contumelia, Prov. 11. v. 2. & antequam conteratur, cor hominis exaltatur, Prov. 18. v. 12. Superbia igitur ante ruinam.*

16. Puſillanimitas *eſt vitium in magnis honoribus appetendis deficiens. Hoc qui laborant vitio 1. ſeipſos ſpoliant honoribus dignis, ac proinde in ſeipſos ſunt injuſti. 2. de ſe ipſis malam ſuſpicionem concitant. 3. ſeipſos reddunt ſegnes & ignavos ad res præclaras ſuſcipiendas.*

17. Modeſtia eſt virtus, quæ in modicis & debitis honoribus mediocritatem ſervat.

18. Objectum Modeſtiæ eſt honor modicus & mediocris: *in quo expetendo obſervandum 1. ut ex actionibus honore dignis expetatur: fructus enim oneris, bonor eſt, nec ad templum Honoris venitur, niſi per templum Virtutis, quæ duo Romæ erant conjunctiſſima. 2. ut eo modo expetatur, quo oportet, non per fraudem, non per crudelitatem, non per munerum corruptelas, non per calumnias, in alios quæ evomuntur. 3. Non majores honores expetamus, quàm noſtra virtus meretur.*

19. *Exemplum modeſtiæ inſigne fuit* Pythagoras, *qui cognitionis ſuæ ſibi conſcius, dici noluit* σοφὸς *ſed* φιλόσοφος. Socrates: *qui nihil ſe ſcire, præter hoc unicum, quod nihil ſciret, dicere ſolitus.*

20. *Qua-*

20. *Quæritur circa primam obſervationem ad Objectum th.18. notatam:* An honor etiam poſſit aut debeat expeti propter ampliſſimam familiam ex quâ quis natus? *Reſp. Inveniuntur multi, qui honores ſibi deberi putant non ex virtutis difficultate, ſed ex generis nobilitate, & alios qui ex ignobili ſtirpe orti virtutum beneficio inclareſcunt, præ ſe contemnunt: Quibus hocce cujusdam Philoſophi adhibo judicium:*

Qui virtute carens atavorum ſtemmata jactat:
Nobilis ille magis, nobilis ille minus.

Quam in rem etiam eleganter & verè Piccolomineus grad. 4. c. 53. *Virtus,* inquit, *eſt parens nobilitatis, propterea qui virtutem non diligunt, vel parentem ſpernunt, vel ſe non verè nobiles oſtendunt. Adeò ut nobilis ſit non ille, quem ſua villa; ſed quem ſua virtus nobilitat. Salvo igitur aliorũ bonore & judicio ita quæſtionem decidere annitemur, ut diſtinguamus 1. inter nobiles ſolo genere, & nobiles genere & virtute. 2. inter ignobiles ſolo genere, non virtute; & ignobiles genere & virtute: Applicamus: ſolo genere nobilis honorem exſpectare poteſt ab ignobili genere & virtute: Nobilis genere & virtute, à nobili ſolâ virtute, ita tamen ut officiorum dignitas attendatur: Propter officia enim ſolâ virtute nobilibus honor major tribuitur, quàm nobilibus genere & virtute, vel in minori vel in nullo officio conſtitutis: idq; fit inde quod potiſſimùm fiat reſpectus in honorum exhibitione ad virtutem, quæ quia gradus admittit, honor etiam gradus non reſpuit.*

21. Extrema Modeſtiæ, ſunt: *in exceſſu,* φιλοτιμία, Ambitio: *In defectu,* ἀφιλοτιμία, Animi objectio, *ſive bonorum contemptus:*

22. Ambitio *eſt vitium in modicis honoribus modum excedens: Ambitioſi plerumque ſunt illi, qui ignobili*

ſtirpe

Digitized by Google

ſtirpe orti inclareſcunt, ſecundum illud, quod vulgò dicitur, verbum:

Aſperius nihil eſt, humili cum ſurgit in altum.
Es iſt kein Kling die ſcherffer ſchirt /
Alß wenn ein Bawr zum Junckern wird.

23. Abjectio animi *eſt vitium in modicis honoribus, etiam debitis, appetendis deficiens: qui hoc ſibi dictum putent: Tanti eris aliјs, quanti tibi fueris: His æquè ac illis Cato notatu dignum accinit Diſtichon:*

Nec te collaudes nec te culpaveris ipſe,
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.

24. *Sequitur virtus in ordine, à nobis th. 2. Diſp. 8. ex Ariſt. l. 2. Eth. Nic. c. 7. delineato, ſeptima,* πρᾳότης, Manſuetudo *dicta, quæ moderatur iram.* Ariſt. l. 4. Eth. c. 5.

25. *Eſt autem Manſuetudo duplex, naturalis, quæ eſt propenſio animi ad levitatem ac indulgentiam: 2. Moralis:* Caſus l. 4. c. 5. ſpec. *Manſuetudo moralis uſurpatur tripliciter: nonnunquam pro privatione univerſæ latitudinis iræ; nonnunquam pro ira nimium remiſſa; aliquando demum pro mediocritate & ira moderata, quæ in ſignificatione commendatur:* Piccol. *grad. 1. c. 27.*

26. Eſt igitur Manſuetudo virtus, quæ mediocritatem ſervat circa iram in puniẽdo & vindicando.

27. Objectum *Manſuetudinis eſt vel internum, vel externum:* Internum eſt ira, *quam debet moderari, ne animum hominis abripiat, mentemq; avertat:* Ennius *namq; iram rectè initium inſaniæ nominavit: unde* Horatius *canit:*

Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu capeſce catenis.

Externum *ſunt omnia ea, quæ irã & indignationem in animo hominis poſſunt cõcitare, ut injuriæ & contumeliæ, offenſioneſq; aliæ, & præcipuè contemtio noſtri aut noſtrorũ.* Ex

Collegij Ethici

DISPUTATIO DECIMA,

De

MAGNANIMITATE ET MODESTIA,

NEC NON

De

MANSUETUDINE,

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ, Lemgoviâ-Weſtphali SS. Theol. Studioſi.

Publicè defendendam ſuſcipit

CHRISTOPHORUS STOVERUS, Jeverâ-Friſius.

Ad diem 27. Junij, horis & loco ſolitis.

Ovidius.

Excitat audi torſtudium, laudataq; Virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

ROSTOCHIJ

Per Auguſtinum Ferberum, Anno M. DC. XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

28. *Ex poſteriori Definitionis membro videre eſt, quod clementia ad Manſuetudinem referatur: Hac tamen cum diſtinctione, ut qui iram ſupprimit, Manſuetus: qui pœnam diminuit, clemens dicatur.* Caſus l. 4. c. 5. *ſpec.*

29. *Quaritur circa hanc virtutem.* 1. An liceat aliquando iraſci? *Reſp. Diſtinguendum inter iræ objecta: nimirum 1. inter vitium & naturam, ſive inter adjunctum & ſubjectum.* 2. *inter iram temerariam & juſtam: Homo irâ juſtâ iraſcitur hominis vitio; non naturæ ſive perſonæ, niſi extremè malus extiterit homo, & nulla converſionis ſpes ſuperfuerit:* Juſtè igitur ob juſtam cauſam iraſcitur verbi divini miniſter, 1. *ob mandatum Eſa.58. Ezech.3.* 2. *ob exemplum Dei, Pſ.5.7. Num.25.v.4.5. Eſa.42.v.25. Phinea, Num. 25 v.7.8. Davidis, Pſ.26.v.6. Pſ.139.v.21. Elia, 1.Reg.19.v.14. Stephani, Act.7. Chriſti, Matt.11. Pauli, 2.Cor.11.v.1.*2. Magiſtratus, *Deut.*21. *Rom.13. 1. Pet.*2. Paterfamilias, *Prov. 13. & 23. Syr.30. & niſi iraſcatur petulantibus liberis, illosq; pœnâ dignos afficiat, pœnam tandem luet graviſſimam, prout legimus de Propheta Eli, 1.Sam.4. Talis ira vocatur ira officij, de qua Paulus in genere: Rom.12. v.9. Odientes malum, adhærete bono. Gal.4.v.18. Bonum autem eſt æmulari, in bono ſemper: id quod Lutherus p. m. emphaticè vertit:* Eyvern iſt gut/ wens jmmerdar geſchicht vmb das gute. *Hac tamen in irâ modus obſervandus, nec fines Manſuetudinis tranſgrediendi, ne peccemus, ſecundum illud Davidis, Pſal. 4. v. 5. Iraſcimini & nolite peccare: neve Sol occidat ſuper iram noſtram, Eph.4.*

30. *Quaritur* 2. An Magiſtratus debeat eſſe Manſuetus & Clemens? *Reſp. Athenodorus Philoſophus ille, rogatus olim ab Auguſto Cæſare, ut aliquod ſibi monumentum relinqueret, hoc (inquit) relinquam Cæſar; ſi contigerit te iraſci, nihil prius dixeris feceriſq́; quam* 24. *literas recitaveris: Qua reſponſione Cæſari clementia & manſuetudinis nomen exoptavit.*

Digitized by Google

vit. Huc etiam eleganter quadrat illud Terentij ſ. 1. A. 1. Adelph. Errat longè quidem mea ſententia, qui imperium credat gravius eſſe aut ſtabilius vi quod ſit, quàm illud quod amicitia jungitur: Codex quoq; ſacer ab hiſce ne latum, quod ajunt, diſcedit unguem: Tyrannidem enim qui exercent, graviſſimè à Deo puniuntur, & quidem per ea, per quæ peccant, ut Sap. 11. & Luc. 6. legere eſt. Exemplo eſt, Abimelech. Jud 9 Saul. 1. Sam. 22. Iſabel, 1. Reg. 21. & 2. Reg. 9. Vos igitur Domini remittite minas, ſcientes, quia & veſter Dominus eſt in cælis; & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. Eph. 5. 9.

31. An quædam vindicta ſit prohibita? Reſp. Diſt. inter vindictam publicam & privatam: Illa committitur Magiſtratui, & eſt conceſſa; Hæc à privata fit perſona, & eſt conceſſa non in totum, ſed in tantum: Privatæ enim perſonæ conceditur defenſio de propulſanda manifeſta violentia, eo tamen ordine & modo ſicut recta ratio præſcribit: Atq; ſic vim vi repellere licet, h. e. contra manifeſtam violentiam neceſſaria eſt defenſio, quia abeſt Judex: Melius enim eſt prævenire, quàm præveniri.

32. Extrema Manſuetudinis ſunt, in exceſſu ὀργιλότης, Iracundia, in defectu, ἀοργησία, Lenitudo.

33. Iracundia eſt vitium, quo ex causâ leviculâ, vel injuſtâ etiam ſupra modum iraſcimur. Vitium hoc ut fugiamus docebit nos quarta petitio Orationis Dominicæ. Pater remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Conferamus admonitionem Pauli. Galat. 6. v. 1. Fratres, inquit, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſcemodi inſtaurate in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.

34. Lenitudo eſt vitium, per quod ne juſtis quidem de cauſis ira commovemur: Hoc vitium æquè ac illud fugiamus, Lenitudo enim omnem noſtram tollit authoritatem, vel certe minuit, unde oritur noſtri contemptus, & illorum, quibus præfecti ſumus, exitialis perditio.

COROLLARIUM.

Utrum primorum noſtrorum parentum lapſus cauſa fuerit ſuperbia; an verò incredulitas?

Digitized by Google

Collegij Ethici

DISPUTATIO UNDECIMA

De

VIRTUTIBUS HOMILITICIS: VERACITATE, URBANITATE, COMITATE.

Quam

D. O. M. A.

Conſenſu & authoritate Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ in celeberrima Roſtochienſium Academia

SUB PRÆSIDIO

M. HENRICI VULPIJ, Lemgoviâ-Weſtphali SS. Theol, Studioſi.

Publicè defendendam ſuſcipiet

HERMANNUS EVERINGIUS, Oſnaburg. Weſtph.

ad diem 5. Sept. In Auditorio majori.

Ovidius.

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaq; membra levat.

ROSTOCHIJ

Per Auguſtinum Ferberum, Anno M. DC. XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESIS I:

Examinatis virtutibus in ſerijs occupatis, hac Diſputatione videbimus illas, quæ in jocoſerijs: quales ſunt: ἀλήθεια, Veracitas: εὐτραπελία, Urbanitas: φιλία, Comitas. *De quibus* Ariſtoteles, *l. 4. Eth. Nic. c. 6. 7. 8. 9. ex cujus mente generali nomine vocantur* Homiliticæ, *quia in ſermonum actionumq; ſocietate verſantur, & licet eam ob rationem aliquo modo inter ſe ſint ſimiles; differunt tamen, quod una in veritate, aliæ duæ in vitæ jucunditate cernuntur, cujus jucunditatis pars altera jocis tribuitur, altera in reliqua vitæ congreſſionibus eſt.* Ariſt. *l. 2. Eth. c. 7. & l. 4. c. 8.*

2. *In veritate quæ cernitur, dicitur* Veracitas, *dicta à vero per notat. ex objecto. Verum autem à vere per not. ex ſimili. Græcis* ἀλήθεια *à* στερητικῷ α *& verbo* λαθεῖν *latere; per notationem ex adjuncto, quia veritas ſemel eruta minimè latet. Latini etiam illam vocant integritatem, ſynceritatem, candorem & veritatem; ſed quia veritatis vocabulum eſt ambiguum, ambiguitas, ne errorem pariat, tollenda eſt:* Veritas ergo occurrit triplex: 1. Metaphyſica, *quæ definitur rei & intellectus conformitas.* 2. Logica, *quæ eſt affectio propoſitionis, & opponitur falſitati: Eſtq; convenientia enunciationis cum re.* 3. Ethica, *quæ eſt convenientia enunciationis cum mente, & opponitur Mendacio. Sine contradictionis igitur implicatione ſubſiſtunt hæc axiomata: Poteſt aliquis dicere falſum, nec tamen mentitur. Et vice verſa: Poteſt aliquis dicere verum, & tamen mentitur.*

3. Veracitas eſt virtus moralis res orationem cum mente congruente exprimens. *Vel:* Veracitas eſt virtus, per quam id, quod corde ſentimus, etiam ore & verbis & factis profitemur.

4. Objectum *veracitatis eſt ipſum verum verbis aut*

factis

Digitized by Google

factis ita expreſſum; ut in ijs nihil fictum aut falſum inveniatur.

5. *Hujus virtutis ſtudio ut nos totos dedamus & devoveamus, facit* 1. Scripturæ ſacræ authoritas: *zach. 8. v. 16. Hæc ſunt verba quæ facietis: Loquimini veritatem unusquisq; cum proximo ſuo. Confer Eph. 4. v. 20. & 25.* 2. Redundans in veritatis cultores utilitas: *Qui enim veritatem loquitur, in tabernaculo Domini habitabit, Pſ. 15. & labium veritatis firmum erit in æternum, Prov. 12. v. 19. Et licet hoc tempore obſequium amicos, veritas odium pariat, Ter. a. 1. ſ. 1. And. id quod expertus Paulus Gal. 4. v. 16. ait: Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis? Quam in rem elegans ſimile legere eſt par. 1. Appar. Concion. Franc. Lab. p. 1000. Fertur, inquit, vetulam quandam pauperem ſpeculum perſpicuum in ſterquilinio reperiſſe, mirata vili loco pulchrum ſpeculum jacere accepit, faciei admonuit, cumq; deformitatem vultus ſui in ſpeculo inſpexiſſet, projecit, dicens: Meritò ab omnibus abjectum in ſterquilinio jaces, quod ſic apertè deformitatem manifeſtas. Quid quæſo aliud eſt is, qui vera dicit, quàm ſpeculum mundum ad amuſſim? & verè res ſecundum earum exigentiam repræſentans; ſicut enim ſpeculum ſpecioſum vultum ſpecioſum reddit, deformem verò deformem, ſic ille, quæ pulchra & bona ſunt, pulchra & bona profert, quæ verò fæda & mala, fæda & mala dicit &c. at ſicut ſpeculum illud ideò deſpectum fuit, quod fæda, fæda eſſe repræſentaret, ſic qui fæda & vitioſa talia eſſe denunciat, abjicitur & deſpicitur; minimè tamen reticenda & occultanda, quia veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt, quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terretur, inquit Hieron. Quid? multorum improbitate depreſſa veritas emergit, dicit* Cicero pro Cluent. *Quin & qui corripit hominem, gratiam po-*

am poſtea inveniet magis, quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit, Prov. 28. v. 23.

6. *In veritatis ſtudio auguſtum Auguſtini dictum obſervandum cenſeo, quod habet l. 4. de doct. Chriſt. c. 11. Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt: aut quid obeſt lignea ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus niſi patere, quod clauſum eſt?*

7. *Ad veritatem non incommodè refertur* Simplicitas, *quæ in ſacris literis ferè ſignificat ſinceritatem vel candorem animi ab omni dolo, ſimulatione vel fuco alieni, qualis eſt in infantibus & pueris. Hanc commendat Apoſtolus Rom. 16. v. 19. Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Chriſtus Mat. 10. v. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: quæ verba ita repetit Hieron. Habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplanteris inſidiis. Non multum diſtat in vitio, vel decipere poſſe vel decipi Chriſtianum. Addo Diſtinctionem inter γνῶσιν & πρᾶξιν, ſcire poſſumus etiam malum non ut faciamus, ſed ut fugiamus & præcaveamus. Collaudavit alioqui Deus à ſimplicitate Jobū, c. 1. v. 3. Chriſtus Nathanaëlem, Joh. 8. v. 47. Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.*

8. *Quæri circa veritatem poteſt.* 1. An una eademq; propoſitio poſsit eſſe vera Philoſophicè; falſa Theologicè, & contra? *Reſp. negando: Et ut ad exempla, quæ in contrarium objici ſolent, parata ſit reſponſio;* Diſtinguendum erit 1. inter propoſitiones purè Theologicas, *quæ captum rationis humanæ tranſcendunt*: & mixtas, *quæ aliquo modo etiam ex ratione ſive notitia naturali colliguntur. Illæ in Philoſophicis falſitatis non arguuntur, ſed ignorari dicuntur; ex ſacris autem vera creduntur; Hæ veritati*

etiam

Digitized by Google

etiam ſubjacent Philoſophica, quia ex Philoſophicis etiam percipiuntur, licet imperfectè & obſcurius: Ex Theologicis perfectiſſimè & clarius. Vt res ſit clariſſima, hoc modo declarare annitar: Studioſis ſæpius primo intuitu multa, quia illorum non habent cognitionem, falſiſſima videntur, illorum tamen ignorantia reiipſius veritati nihil detrahit: Ita cæca ratio purè Theologicas propoſitiones, ut: Ex nihilo factus eſt mundus, Virgo peperit, Sol ſtetit: ignorat, nemo ſobrius tamen ideo falſas dixerit in Philoſophicis. verbo: ignorantur in Philoſophia. Ergò in & ex eàdem, utrum vera an falſa ſint? non dijudicantur. 2. inter propoſitiones & earundem accommodationes: *Propoſitiones, e.g. ex nihilo aliquid fit; Ex nihilo nihil fit. Virgo peperit; Virgo non peperit: non ſunt contrariæ, propter diverſum reſpectum, qui omnem oppoſitionem tollit, ſi quis autem malè accommodare voluerit, μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committit. Ex nihilo aliquid fit per creationem, Ex nihilo nihil fit per generationem: Virgo peperit ſupernaturaliter; virgo non peperit naturaliter.*

9. 2. An verum viro præferendum? *Ad quod trita eſt reſponſio: Amicus Socrates, amicus Plato; ſed magis amica veritas: fundata in Ariſtotele l.1. Eth. Nic c. 6. ubi affirmat quod Philoſophus ſua etiam negare debeat veritatis retinendæ cauſa, & quod pium ſit pluris æſtimare veritatem, quam præceptoris authoritatem. idq; rectiſſimè, ſi enim præceptori ſimpliciter adhærendum & credendum, 1. ſæpiſſimè falſiſſima pro veris obtruderentur. 2. Pythagoricum illud* αὐτὸς ἔφα *jamdudum exploſum rurſus introduceretur. 3. Libertas Philoſophica tolleretur: Artes enim dictæ ſunt liberales; non tantum quod libero homine digna ſint; ſed etiam, quod liberum requirant ingenium, nullius authoritati obſtrictum. Manus ergò diſcipulorum oculatæ ſint, credant, quod viderint; nec*

Digitized by Google

rint; nec quis, ſed quid dicat attendant, tribuant multum Platoni, plus Ariſtoteli, ſed rationi plurimum, ita Pererius in præfat. Phyſ. *cum nihil turpius ſit, quàm ex omnium rerum domino atque dictatore, intellectu noſtro facere mancipium alienæ libidinis:* Scal. exerc. 6. ſ. 4.

10. *Veracitati in genere opponitur* Mendacium, *quod duorum extremorum veracitatis commune quaſi genus eſt: Conſtituitur autem ab Auguſtino triplex:* 1. Officioſum, 2. Jocoſum. 3. Perniciosum. Officioſum *eſt, quod nemini obeſt, ſed alicui prodeſt, vel ad officio ſatisfaciendum, vel ad famam & ad bona externa tutanda.*

11. *De hoc quæritur:* An toto genere ſit pravum & vitioſum? *Quæ quæſtio me torquet plurimum, & ferè ſuſpenſum tenet, quia video rationes pro & contra prægnantes, orthodoxos etiam in diverſas partes rapientes.* Clariſs. Finckius, part. 3. Schediaſm. 25. *ſimpliciter tuetur affirmativam, & hæc Auguſtini approbat verba: Si quis ad te confugerit, qui mendacio tuo poſſit à morte liberari, tuum non eſt mentiri: omnis enim qui mentitur, occidit animam. Dura hæc videntur verba, plurimis difficultatibus obnoxia.* Incomparabilis ille Theologus Chemnitius par. 2. *L. C. piè & modeſtè defendendam ſibi ſumit negativam, propter quædam ſanctorum exempla in ſacris annotata, quæ temerè damnari non poſſunt: & ut conſulat conſcientÿs, veram ex Auguſtino repetit mendacÿ definitionem: Mendacium eſt falſa vocis ſignificatio, cum voluntate ſeu intentione fallendi: hanc ſuperaddens regulam, quam intrepidè vocat certam & veram: Occultatio, quæ adhibetur ob honeſtam & juſtam cauſam, in rebus, quas dicere non eſt neceſſarium, juſtum aut utile, non eſt mendacium: Ab hujus ſtabo partibus, ita tamen, ut officioſum illud mendacium actioni non ſimplici ſed mixtæ annumerem,*

quæ licet

Digitized by Google

quæ licet vitij non ſit expers, quia vel ex timiditate, vel ex imbecillitate provenit, veniam tamen mereatur. Exemplorum autem ſanctorum ex ſacris quæ colliguntur, quia magna eſt diverſitas, quid de illis habendum ſit, collatio dabit.

12. Jocoſum *eſt, quod delectationis cauſa, citra alterius incommodum lepidè fingitur.*

13. *Quæritur circa hoc,* 1. An ſit vitioſum? *Pro affirmativa non obſcurè facit locus Pſal. 4. v. 3. Quouſq; diligetis vanitatem, & quæritis mendacium. Vbi Vanitas i. e. mendacium officioſum æquè ac mendacium pernicioſum prohibetur. Omnem tamen jocum non damnaverim, quia jocos ridiculos vendere conceditur, ſi ſint elegantes & faceti, non petulantes & obſcœni, ſed jocus ille refertur ad Vrbanitatem, non ad Mendacium.*

14. *2.* An Fabulæ à doctis viris excogitatæ ſint Mendacium jocoſum? *Diſtinctione rem expediam: Fabulæ conſiderantur vel ſimpliciter vel comparatè: ſimpliciter ſive Abſolutè extra comparationem conſideratæ ſunt merum figmentum & mendacio jocoſo annumerari poſſunt; Comparatè verò reſpectu Propoſitionis & Redditionis mendacia non ſunt, ſed revera aliquid probant & illuſtrant: Sicut enim in vitibus pulcherrimæ & dulciſſimæ uvæ ſub pampinis latent: ita in Poëmatis utiliſſimæ res fabularum involucris teguntur: neq; ullum fere vetus figmentum eſt Poëticum, quo non aliquid contineatur, vel ex Hiſtoricis, vel ex Phyſicis, vel ex Ethicis depromptum: undè non inſcitè dictum eſt ab Eraſmo Roterodamo, Poëticam eſſe placentam delitijs conditam ex omni diſciplinarum genere.*

15. 3. An Ironia ſit mendacium? *Nego hoc unico eoq; immoto argumento: Quicquid cadit in Deum, nullo modo eſt peccatum. Ironia cadit in Deum. Gen. 3. v. 32. 1. Reg. 18. v. 27.*

Digitized by Google

18. v. 27. Zach. 11. v. 13. Matt. 22. v 12. Mar 7. v 9. 1. Cor. 6. v. 4. Ergò nullo modo eſt peccatum. Non incommodè etiam diſtinxeris 1. Inter verba & mentem ſenſumq́; verborum: Licet ergò verba videantur aliud ſonare, ſi tamen mens ſpectetur & ſenſus, aliud non ſonant. 2. inter Ironiam Ethicam & Rhetoricam: Illa vitium eſt & mendacium; hæc orationis ornamentum. Rectè ergò Auguſtinus: Quicquid figuratè fit aut dicitur, non eſt mendacium. Omnis enim Enunciatio ad id, quod enunciat, referenda eſt.

16. Perniciofum *eſt, quod in aliorum & ſui perniciciem contra fidem & bonos mores profertur. Nota mendacij pernicioſi ſunt 1. ut falſum quid proferatur. 2. ut duplici corde proferatur, h. e. certò ſibi conſtet falſum eſſe, quod tamen ut verum profert 3. ut in perniciẽ alterius cedat, vel ex vanitate & levitate ingenij profectum ſit, qualia ſunt mendacia adulatorum, jactabundorum. 4. ut contrarij veri confeſſio ſit neceſſaria, juſta & utilis.*

17. Extrema ſpecialia veracitatis ſunt: *in exceſſu, ἀλαζονεία,* Arrogantia. *In defectu εἰρωνεία,* Diſſimulatio.

18. Arrogantia *ſive jactantia eſt vitium, per quod vel ea, quæ non habemus, vel plura & majora, quàm habemus, nobis arrogamus: Hoc vitium cane pejus & angue fugiat, cui ſolida eruditio cordi eſt: Verum enim eſt vulgo quod dicitur verbum. Multi ad ſolidam & perfectam eruditionem perveniſſent, niſi ſe perveniſſe putaſſent.*

19. Diſsimulatio *eſt ejuſmodi vitium, quo ea, quæ inſunt ineſſe negamus, vel extenuamus & diminuimus ea quæ apparent. Vitium hoc omni floruit tempore, adeò ut veteres non inconvenienter dixerint:*

Multis annis jam transactis,
Nulla fides eſt in pactis,

Z Melin

Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

20. *Hæc de veracitate, in veritate occupata, ſequuntur quæ in jucūditate, urbanitas in converſatione jocoſa, Comitas ſive Affabilitas in ſeria occupata.*

21. Urbanitas eſt virtus moralis modum ſervans in ludo & joco. (*ſubintellige & activè & paſſivè, ſive exercendo & ferendo.*) *Dicitur Urbanitas ab urbe*, per not. ex ſubjecto. *A græcis nominatur* ευτραπελέια, *quaſi morum flexibilitas, à verbo* τρέπω, *verto: unde* ευτράπελοι *ſunt quaſi* ευτροποι, *faceti quaſi fando flexiles.* Ariſt. 4. *Eth. c. 8.*

22. Objectum *urbanitatis, ſunt: ludus & jocus, ſive omnia ea, quæ animi recreandi gratia dicuntur aut ſuſcipiuntur, veluti ſunt jocoſa confabulationes, joci verbales, facetiæq; in ſermonibus, item varia genera ludorum, & alia ludicra exercitia, quæ cum aliȷs animi gratia, & temporis fallendi cauſa ſuſcipiuntur.*

23. *Circa hæc verſatur Vrbanus dupliciter: 1. dicendo & faciendo. 2. audiendo & ferendo. Ita ergo ludat ne lædat, & joca vertantur in ſcommata. 2. ludat joco lepido & ingenioſo, non petulanti & obſcœno. 3. jocetur tempore lætitiæ non triſtitiæ, habito etiam reſpectu perſonarum, & modo probè obſervato, ut mordeat inſtar ovis, non canis. Ita audiat ut amicum ſalibus jocoſis mordentem venuſtè toleret & venuſta reſponſione ſuſcipiat, nec quæ joco dicta ſunt in ſerium convertat.*

24. *Quæritur*: An Urbanitas rectè virtutibus annumeretur? *Reſp. Inveniuntur quidem multi à ſe ipſis nati ſanctuli, hypocriticam & ſuperſtitioſam præ ſe ferentes ſanctitatem, qui urbanitati non tantum nō ſtudent ipſi, verum etiam aliȷs illius ſtudio interdicunt, proindeq; vitȷs potius quàm virtutibus illam annumerandam cenſent, fortè ex eo, quod Paulus Eph. 5. v. 4. expreſſè affirmat* ευτραπελίαν *ſive urbanitatem ſanctos non*

ctos non decere. Quo minus autem nos huic ſententiæ ſubſcribamus & à recepta affirmativa recedamus facit 1. quod urbanitati virtutis moralis competat definitio. 2. quod ejusdem inſignis ſit uſus in vita quotidiana, & hominem mirificè recreet: Quemadmodum enim cibus ſalis expers eſt ingratus: ita vita noſtra eſt ingrata & odioſa, niſi morum ſale, ipſa Urbanitate & Comitate ſit aſperſa & tincta. Reſpondemus igitur ad locum Eph. 5. v. 4. Diſtinguendo inter εὐτραπελίαν conſideratam in medio vel in extremo: conſiderata in medio, quando nim. modus ſervatur in jocando, ita ut & ipſi alios ſalibus honeſtis oblectemus, & jocantes alios humaniter audiamus, virtus eſt, & commendatur à Paulo ipſo Coloſ. 4. v. 6. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuiq; reſpondere; conſiderata in extremo ſive exceſſu, pro jocis illiberalibus & à gravitate ſanctorum alienis, vitium eſt, quod alio nomine Scurrilitas dicitur & à Paulo Eph. 5 damnatur; Diſtinctionem illam fundatam habebis l. 4. Eth. Nic. c. 8.

25. Extrema Urbanitatis ſunt: *in exceſſu*, βωμολοχία, Scurrilitas. *In defectu*, ἀγροικία, Ruſticitas.

26. Scurrilitas (*dicta à σκῶρ, i. e. ſtercus, unde nec incommodè ſcorum & ſcoriſtam derivabis*) *eſt inſulſa & moleſta dicacitas, qua ordo & modus in ludis jocisq; non ſervantur. Vel: eſt vitium in jocando modum excedens. Illiberale hoc, petulans, flagitioſum & obſcœnum jocandi genus nec libero homine dignum, præſertim ſi rerum turpitudini adhibeatur verborum obſcœnitas, inquit Cic. 1. off. Scurræ probè notent verba Chriſti Mat. 12. quod de omni vitioſo verbo aliquando ſit reddenda ratio coram tribunali divino; quæ etiam in omnium noſtrum reſonent auribus, ut tales jocos ridiculos vendamus, qui aliquid habent in ſe, quod poſſit alterum erudire & ad pietatem excitare, in quibus excellunt ænigmata, Fabulæ & ſimilia.*

27. Ruſticitas *eſt vitium in ludis & jocis deficiens, quo nec ipſi proferre, nec aliorum jocos perferre valemus. Hoc vitio qui tenentur, ad converſationes, quæ honeſtæ voluptatis & animi recreandi gratia ſuſcipiuntur, ſunt ineptiſſimi, unde & cum blattis ac tineis malunt domi rixari, quàm cum facetis in honeſto conventu converſari.*

28. *Reſtat ex Virtutibus Homiliticis ultima, Comitas, aliàs Affabilitas, ſive Humanitas dicta, qua de breviter* Comitas eſt virtus, quæ in quotidiana converſatione, in ſermonibus & actionibus eam ſervat mediocritatem, ut quantum fieri poteſt, neminem offendat, ſed potius omnibus honeſtè placere ſtudeat. *Commendatur Prov. 15. v. 1. & 4.*

29. Obje-

Digitized by Google

29\. Objectum Comitatis, *ſunt dicta, facta, & jucunditas in converſatione ſeria. Officium autem Comis ſive Aſſabilis præcipuè in hisce tribus conſiſtit: 1. ut pro honeſtatis ratione eum, cum quo converſatur, oblectet. 2. in dictis & factis errantem amicè admoneat: tandem enim gratiam inveniet, Prov. 28. v. 23. Confer Hebr. 12. v. 11. 3. In congreſsibus quotidianis ſingulis pro dignitate tribuat, hoc quidem modo: Digniori auſcultet & obtemperet, Inferiori modeſtè perſuadeat, Æquali conſentiat.*

30\. *Quæritur*: An Comitas ab Amicitia differat? *Affirm.* Differunt *enim 1.* objecto: *Humanus namq; erga quosvis eſt familiaris, habita tamen ratione honeſti; Amicus erga amicos ſaltem & notos eſt familiaris & facilis.* 2. Formâ: *Quia amicus facilem & familiarem ſe præbet eo, quod amet & familiaritatem contraxerit; Humanus eſt familiaris, eò quod facili & leni ingenio eſt præditus.* 3. Effecto. *Comitatis enim eſt delectare, Amicitiæ verò diligere.*

31\. Extrema Comitatis, ſunt: *in exceſſu*: ἀρέσκεια, Aſſentatio. *In defectu*: δυσκολία, Moroſitas.

32\. Aſſentatio *eſt vitium in ſeriâ converſatione modum excedens, quo præter honeſtatis rationem, iis, quibus cum converſamur, in omnibus placere conamur. Hoc vitium quia maximè regnat in aulis, aſſentatores rectiſsimè Adu'atores vocantur: quare optandum eſſet, Reges & Imperatores omnes eſſe Sigismundos, ſic enim facilè exularent Gnathones immundi.* Terentius *vivũ Adulatorũ proponit exemplum in Eunucho act. 2. ſc. 2. ubi videas.*

33\. Moroſitas *eſt vitium in ſeria converſatione deficiens, quo ne in honeſtis quidem rebus cuiquam placere ſtudemus. Vitio hoc laboravit Nero, qui ne cum liberis quidem converſatus, ſed omnia, quæ voluit mandare, in libellis ſcribere conſuevit.*

34\. *Finio hisce emphaticis: 1. Nimia familiaritas parit contemptum. 2. Nimia moroſitas militem reddit deſperatum: Quare arbitror id apprimè in vita eſſe utile:* NE QVID NIMIS: *Omne namq; nimium vertitur in vitium.*

COROLLARIA.

I. An liceat jocari cum virginibus? D.

II. An ars Gymnaſtica ex benè conſtituta Rep. ſit proſcribenda? N.

III. An liceat exhibere Comœdias? D.

IV. An Poëtæ Ethnici juventuti utiliter proponantur? A.

Digitized by Google